

DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
DIVINO CONCURSU
IN
SPHÆRA NATURÆ,

Quam

In

Solemnissima Panegyri,
Summe Rev. Facultatis Theologicæ
consensu,

Cum

SS. THEOLOGIÆ DOCTOR

In

Regia Pomeranorum Academia

Anno M DCC XI. die 23. April.

publica voce diceretur,
exhibuit

HENRICUS DÜRKOP, Lubecensis,
Verbi Divini in Ecclesia Teutonica Minister,
& Professor Haffniensis.

35.



G R Y P H I S W A L D I Æ ,

TYPIS DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

REG. ACAD. TYPOGR.

2.

a. XXVIII. 13.

Coll. diss. A
28, 13

DEPUTATIO IN ALCANTARA

MARTINO GONCALVES

STHELI MATURUS

STHELI MATURUS
STHELI MATURUS

STHELI MATURUS



STHELI MATURUS

STHELI MATURUS

STHELI MATURUS

STHELI MATURUS



JESU JUVVA!

PRÆFAMEN.



N ea probo dolor! reservati sumus tempora, in quibus, quæ à Majoribus nostris doctrinâ solidâ ac sincerâ pietate non mediocriter tinctis, vel cum honestate quâdam vel cum infamiâ jam pridem sunt sepulta, à morte ad vitam, à desperatione ad spem identidem & quidem arroganter ac acrius revocantur. An in incitia tantum, vel in ambitione, vel in negligentia, (he enim sunt plerumque omnium errorum fœcundæ Matres,) culpa & crimen hereat omne, illi tantum certissime constat, de quo πάντα γυμνά καὶ τετραχελισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτῶν. Verum autem me dixisse nemo, nisi qui hospes & peregrinus in patriâ, negare poterit. Nonne rejectus effert se Chiliasmus? & ad renovandum bellum in doctrinâ de spe meliorum temporum revirescit? Nonne in periculoso Terminismo condemnatus reviviscit atque recreatur Novatianismus? Nonne laudem superioris Seculi Phantastarum prope senescentem ab oblivione hominum vindicant Visionem crepitantes? Nonne

Origenianismus, qui consanuisse videbatur, graviore vulnere in æterno recrudescit Evangelio? Nonne obductam dudum Ecclesie cicatricem, quam Stephani Prætorii præcipitania inflixerat jam videmus refricatam? Hinc est, quod illi, quos vel officii necessitas, vel Graduum conferendorum dignitas, vel alia quædam vocat ratio laudabilis ad materiam quandam elaborandam, id sibi solum dari credant, ut studium ad instauratas errorum reliquias adjungant unice. Idque non immerito: crescente enim lolio infelici, crescat & hortulani diligentia in evellendo & eradicando. Et vigilis est, ut, cum senserit hostium adventum non recipiat tantum se, aliosque excitet ad arma; sed & revertens utatur suis. Et ut verum fatear, id animum meum, cum pro impetrando summo in Theologia Gradu quædam essent conscribenda, ad Barbarismos ANTIBARBARI cujusdam superiori anno audacter proficientis, quoque flexerat; Ast, etsi non fuerunt, nec facile esse poterat, quæ animum à semel recepto & maximam partem jam elaborato absterrere possent, non defuit tamen, qui nos hac vice debortari voluit ac potuit, animumque commutare. Cogitanti vero mihi, cum cito & cursim agendum esset, quid in Barbarismi locum commode caperem, succurrebat ex loco de Providentia divina haud pridem meis enucleata, **CONCURSUS DIVINUS IN SPHÆRA NATURÆ** considerandus. Sponte intelligo, quam scrupuloso difficilique in loco hic verser concurrentibus multis opinionibus, Scholasticorum spinis undique circumseptis. Sed gratia divina, quam vehementer exspecto, meditationi nostræ concurrente, facilis erit difficilis omnisque periculi expers periculosus concursus. **CONCURRAT ergo ISTA COEPTIS nostris. CLEMEN- TISSIME!**

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

De Voce

CONCURSUS IN GENERE.

SUMMARIUM.

Agitur §. 1. de necessitate evolutionis nominis. §. 2. De derivatione vocis concursus. §. 3. De Synonymis. §. 4. De Homonymis: scil. de Concursu juridico, mathematico & morali. §. 5. Explicatur Psalm. L. 18. §. 6. Definitio datur generalis.

§. I.



Um Nomina quorundam ostendant essentiam & quasi pro differentiâ sumi possunt ad speciem describendam, judicante ita subtilissimo Scaligero (1); Nam ex quo, sanctissimi Martyris Cæcilii Cypriani verbis iterum ut utar, ad Adam adducta sunt singula, ut vocaret ea, & propria impo-neret nomina, provisum est in populo antiquo, & institutum, ut aliqua esset in vocabulis ratio, & interpretarentur nomina vitam (Essentiam rei seu rem) & exprimerent aliquam Personam (seu rei) proprietatem, secundum quam vel differret à cæteris, vel communicaret (2): Hinc à nominibus est auspicandum, & secundum nomen statim res ipsa querenda est, ut bene etiam Scaliger putavit (3). Hoc omisso factum est, quod quamplurimis cognitio de Concursu divino semper multis fuerit obstructa difficultatibus.

(1) Exercit. 323. n. 10. (2) In Prefatione ad Cornel. Papam de cardinal. Opp. CHRISTI usque ad ejus ascensum ad Patrem, annexa est libello de singularitate Clericorum in Edit. Erasmi Basil. ab Anno 1523. p. m. 590. (3) In Exercitat. 339. n. 1. & 2.

§. II.

In limine ergo tractationis statim nostrum erit *ἐξαναθίξεν* vocabulum *concurfus*, ut isto diligenter excusfo, quid rei fit, compertum facilius atque perspetum habeamus. Natalia sua quod debeat verbo *concurrere*, inter omnes optime convenit, an vero ex profanis ereptum ad sacra & religiosa fit translatum, non sine temeritate affirmandum esse censeo, ut ea, quæ §. s. sequuntur, aperte docebunt. Est autem vis hujus vocabuli, Etymon si respicias, *Presentia multorum in uno loco*, seu *adessentia ad unam rem*, ita tamen, ut suo cuiq; opere sit plene utendum, nec parte dimidiâ; sic v. gr. Binæ faces in eodem conclavi de se producunt unum numero lumen, seu concurrunt uni rei, lumini scilicet, nec tamen, ut altera alteri in suo lumine suppetias ferat, sed quælibet suum & plenum spargit lumen: Ut ita unus numero effectus producat à duobus seu plurimis causis totalibus nec subordinatis. (1) Sic Cicero mentionem facit *Concurfionis rerum fortuitarum*; item *Concurfus occupationum*, & optimi Autores præcipue utuntur tam verbo *concurrere*, quam nomine *concurfus* de re militari, si vel ad arma concurrant milites, vel cives uno concursu vim hostium prosternant. (2) In omnibus vero hisce aliisq; locutionibus apparet quidem semper unus effectus, concurrentia tamen sic videmus comparata, ut quodlibet eorum in concursu causa sit totalis, nec subordinata.

(1) Dannbæveri Colleg. Psychologic. pag. 204. 205. (2) Fabri Lexicon, edit. Cæsarit.

§. III. Hinc,

§. III.

Hinc, si ἀκριβῶς loqui velimus, *Concursus* & *Cooperatio* proprie non sunt vocabula unum idemque declarantia. *Concursus* enim notat vel *Præsentiam nudam*, vel *Adessentiam* cum *actione* simpliciter conjunctam; *Cooperatio* vero usque involvit *Auxilium*, quo operæ traduntur mutuæ, & sic non actionem tantum, sed ad *auxilium* alteri ferendum simul determinatam. Ita enim vox *Cooperatio* seu *Cooperari* (quæ non potest ex Classicis autoribus ponderari, sed ex Scriptoribus Ecclesiasticis, qui compluscule ita dixerunt) in hoc significato plane legitur in Epistola Hieronymi Alibio & Augustino data & quidem mox ab initio: (1) *Quis*, sic enim fluunt verba, *Cooperatoribus & Actoribus vobis hæresis Celestina* (alias etiam Celestiana à Celestio Pelagii Sectatore impudentissimo, à cujus nomine tota Pelagianorum hæresis & Celestiana & Celestina audit) *jugulata est*, hoc est, altero alterum, consilii interdum locum & auxilii copiam adversus defensores hæresis Celestianæ non habentem, adjutante, quo facilius eorum argumenta frangerentur & hæresis evelleretur, evulsa educeretur, educta enecaretur. Nec quoque *Influxus* & *Concursus* sunt proprie ἰσοδυναμῆς. Realis enim & actualis influxus facit etiam *Conservationem directam & positivam*, an vero *Conservatio indirecta & privativa* proprie *Conservatio* dici mereatur aliis relinquo. (2) Quæ directæ & positivæ etsi in *immediatam* & *mediatam* prudenter separentur; utraqve tamen consistit in *influxu*; *Immediata* enim, ut probe propriam utriusque vim definitione declaravit Svarzcius, (3) consistit in *perseverante influxu* ipsiusmet esse quod per productionem

nem

nem communicatum fuit; *Mediata* vero, in influxu aliquarum dispositionum vel formarum, quæ necessariae sunt, ut res conservetur in esse. Hic influxus dicitur & *Concursus conservativus* (4) ad differentiam *Concursus operativi*, de quo nobis sermo; eoque non possunt esse proprie Synonyma Grammatica, quia concursus noster operativus plus quam influxum actuale involvit, scilicet concursum cum creatura identificatum. Vix sane! in Latio sermone invenies vocabulum ad vocem *Concursus* æquivarandum.

(1) In Tom. II. Oper. Epist. LXXIX. lege simul hic Mariani Scholia.

(2) Dan. Clasenii Theol. Natural. lib. I. Cap. XLV. (3) In Metaphysic. Disp. XXI. Sect. III. n. 2. (4) Job. Wolffg. Jägeri Theol. Natur. Cap. II. Artic. I. punct. VI.

§. IV.

Verum autem & genuinum hunc esse vocabuli *Concursus* sensum docet & abundanter usus, in quo in omni fere scientia habetur. Si *Juris Consulto* sermo sit de *Concursu Creditorum*, nominat plures qui in actione sunt *Cause totales*, nec *subordinate*, unum tamen numero effectum una actione intendentes, solutionem scilicet debiti. In solutione quidem, cum pecunia ex debitoris bonis numeretur, datur *subordinatio Creditorum*. Sic v. g. Debitum, pro quo consensu Domini, feudum est oppignoratium præfertur in concursu Creditorum debito feudali licet priori, quod expresso Domini consensu destituitur; Et Creditor, cui in feudo cum consensu Domini & agnatorum hypotheca constituta, in concursu Creditorum cæteris etiam præfertur quoad Usuras, quamvis harum in consensu mentio facta sit nulla: (1) in *Actione ipsa*, quivis agit ut *Causa totalis*, suum saltem nec

nec

nec alterius quærens. Quid Mathematicis sint Dies Concurrentes, norunt isti optime, qui Epactas solares rite intelligunt, (2) hæ enim vocantur concurrentes. Placet hic Joannis de Janua verba ex Caroli du Fresne Glossario (3) apponere, ut eo magis liberum sit, de sensu hujus vocis iudicium ferre sat firmum. Concurrentes, hæc enim sunt ipsius verba, secundum quod sumitur à Computistis, est supercrescentia unius diei vel plurium supra 52. septimanas, vel plurium: Ideo dicitur, quia in anno Bissextili supercrescunt duo dies, in reliquis vero annis unus tantum, unde versus:

Hebdomada decies quinae numerantur in anno

Atque due, post quas lux una duæve supersunt.

Et ab illo incremento originem habent Concurrentes. Alii postea formantur uno addito, sic tamen quod septimanarum numerum non excedant, unde scias: quod primus annus cycli solaris habet unum pro Concurrente, secundus habet duos, tertius habet 3. quartus habet 4. quintus 6. propter bisextilem, sextus habet 7. septimus habet 8. Et sic procedendo usque ad 28. annos invenitur, qui postea revertitur ad caput procedendo per ordinem sicut prius: Unde Et appellatur Circulus solaris, sive Concurrentium. Si autem vis scire quantum sit annus Concurrentium, adde annis Domini 9. annos, Et à totali subtrahere 28 quoties poteris, Et quotus sit annus cycli solaris, quod residuum fuerit, demonstrabit, Et si nihil remanserit, ultimus annus erit. Et qui planius pleniusque perspicere vellet significatum vocis Concursum, ad hunc referrem Concursum, qui exercet Moralistas. Multum diuque inter illos quæritur: An concurrentes ad restitutionem teneantur? id est, qui non sunt Cause physice alicujus facti, sed morales tantum, quarum species, ut pueris etiam notum, sequenti modo exprimere consuevimus: Jussio, Consilium &c. v. gr.

B

Si qui-

Si quidam una cum furibus curreret, quod fieri posset vel *positive*, cum verbo scilicet aut opere furi cooperaretur, vel *negative*, cum esset mutus, non obstans, non manifestans, sive quidam curreret cum iis, ut participaret *in actu furandi*, vel *in re furtiva*, vel *in actu & re simul*; De his quæri solet, an teneantur, sicut ipsi fures, ad restitutionem? (4) Hic quævis *causa*, tam *moralis*, quam *physica*, agit ut *causa totalis*, nec ut *subordinata*, unum tamen quærunct effectum. Et in hoc sensu & significato *ipsi Spiritui Sancto* hoc vocabulum receptum & adfvetum est, (5) quam propter rem & antea §. 2. translatum esse ex profanis Scriptoribus pernegavi.

(1) *Georg. Ad. Siruvii Observ. Feudal. ad Cap. XVI. Syntag. Jur. Feud. §. XXIII. & XXIV.* (2) *Scaliger Lib. VII. de Emend. Temporum pag. 748. 749.* (3) *Part. I. pag. 1151.* (4) *Joh. Ad. Osiander in Lib. II. Grot. de jure B. & P. C. XVII. pag. 1051. & seqq.* (5) *Pf. L. 18.*

§. V.

Me quidem non fugit, in controversiam & contentionem semper excessisse, & adhuc excedere allegata Psalmistæ verba *אם ראיית גנב ותרץ עמו* *Si videris furem, curris cum eo.* Inter Interpretes alter alteri certatim obstrepit in transferenda voce *וּתְרֹץ*. Hic flexam esse credit de Radice *רָצָה* *complacuit*, & sic sensus esset; *Si videris furem, consensisti.* Ille à stemmate *רוץ* *currere*, quod descendat, masculule defendit. Qui Ebraica luculenter sciebat *Munsterus* ita in hunc versum est commentatus: (1) *Impingunt hic communiter Interpretes nostri, qui similitudine vocabulorum decepti, רוץ quod currere significat, legunt pro רָצָה complacuit, voluit, seu consensit. Si וּתְרֹץ esset à רוץ scribendum esset וּתְרֹץ vattarutz, vel וּתְרֹץ*

וּתְרֹץ

וַתִּירֶצַח *vattaretz*, sicut habetur, Jud. XIII. 10. & נִרְצַח *vattiretz*, ut habet iste locus. In aliam vero partem trahitur *Piscator* ad hanc vocem (2) *Verto*, inquit, *curris* cum eo, nam *vattiretz* scriptum esse pro *vattaretz* judicari potest ex *Syntaxi*, quippe verbum *Razah* non solet regere præpositionem *עַ*; ast *Optimus noster Gejerus* non tantum multum ab eo dissentit, *Merceri* annotatis album apponens calculum; sed haud quaquam *Piscatoris Syntaxin* liquide consistere admodum probat. Allegat ex *Magno Coccejo* duo loca *vers. 9. Cap. XXXIV. Jobi*, & nostrum locum ex *Psalmis*, quæ aperte dant, quod *Razah* construatur cum *עַ*. Habent quidem *Mercerus*, *Gejerus* & *Coccejus*, *Gussetium*, novum *Ebrææ lingvæ Interpretem*, non subscriptorem approbatoremque; hæc duo enim loca interpretatur ille ut elliptica, quæ supplenda per *וְאֵת־אִשְׁרָיִךְ*, & pollicem in significatione verbi premit *Piscatori*, quod idem sit h. l. quam *acceptare*; (4) Sed optimè egisset præclarus ille *Autor*, quod prius *Merceri* & *Gejeri* dubia resolvisset, quam *Piscatoris* sententiam ex placito suo incrustasset. *Calvinus*, non adeo infelix *Sacræ Scripturæ Interpretes*, ne se hic in ullam partem moveat, inquit: (5) *Verbum Vattiretz* major pars *Interpretum* pro *Currere* accipit, quænam alii deducunt à *וְרָצַח* ut sit *consentire*. Quantum ad *Propheta mentem*, quia parum interest, utrumvis legamus, & utrumque est probabile, *judicium lectoribus in medium relinquo*. Ut, quid rei proprie sit, brevi dicamus: Verum est secundum *Grammaticam*, quod *וַתִּירֶצַח* non esse possit à *וְרָצַח* *currere*; si vero ex *Scriptura Sacra* cum pientissimo ac eruditissimo nostro *B. Gejero* attendere velimus, quod *וְרָצַח* & *וַתִּירֶצַח* non tantum ad imitationem aliarum vocum,

sed etiam ex consuetudine Spiritus Sancti in sacro codice ejusdem sint significatus & רצה etiam denotet *Currere* (6); est omnino ita, ut bene judicavit Calvinus, *utrumque stare posse*. Hinc Theologi Vinarienses in suis Bibliis utrumque conjungunt: *Wann du einen Dieb siehst / so lauffstu in allem Wohlgefallen mit ihm*. Et Tossanus in suis glossis: *Das Hebräische Wort scheint beyderley Zustand zu haben / nemlich zu lauffen und Gefallen dran zu haben*. Sed cujus partes hic in explicatione etiam præcipuæ sint, semper tamen est ita, ut dixi, quod scilicet *currere cum aliquo* denotet *actionem numero eandem à duabus causis totalibus peractam*; sit primario loco significatus, *esse alicui autorem & furti suasorem*; seu, *furi auxilio venire*, seu, *fures ex periculis extrahere*, semper una manet *actio*, nempe *furtum*; *Causa tamen totales furtum procreantes sunt plures una*: seu sit magis in rem ille sensus, *requiescere in furum malefactis & eos non ut æquum, coercere*, manet iterum *eadem actio* & est *Concursus* diversorum, unum idemque, etsi non uno modo, agentium.

- (1) In Tom. II. Bibl. Critic. in hunc Psalmum. (2) In Scholiis suis in hunc Psalmum. (3) In Psalmos. (4) In Comment. Ebrae Lingvæ sub voce רצה . (5) In Comment. in Psalmos. (6) Supra citato loco.

§. VI.

Ex his omnibus, ni me omnia fallunt, tutissime sequentem conflare potero *Definitionem Concursus generalem*, quod sit *Immediatus influxus multorum in unam eandemque numero actionem, quæ identico & simultaneo actu quilibet suum agit*. Sed nunc in specie de *Divino Concursu in Sphæra nature* quicquam dicendum erit.

CAPUT

CAPUT II.

De

EXISTENTIA CONCURSUS IN SPHÆRA
NATURÆ.

SUMMARIUM.

§. 1. De necessitate considerationis existentia in genere & in specie de concursu divino. §. 2. De viis, quibus ad cognitionem rei ducimur, & quod per eas etiam hic perveniamus ad cognitionem existentia, diversis tamen modis; per rationem languide. §. 3. Scriptura probat apodictice, & quidem locus ex Joh. V. 17. qui hic secundum significatum vocis ἐργάζεσθαι explicatur. §. 4. Brevi exponit locum, Actor. XVII. 28.

§. I.

Andabatarum more cum digladiari videantur rei essentiam exposituri, cujus essentia in incerto adhuc habetur, valet enim tritum istud Philosophorum: *Non Entis nulla sunt predicata*, recte si alias explicetur (1) *Quæstio, An sit?* jure præmittatur examini *Quid sit?* Ergo & nostrum erit prius *Existentiæ veritatem evincere*, quam *evolvere formam seu essentiam concursus divini*. Etsi enim *Providentia divina*, cujus actus est *concurfus divinus*, (tres scilicet ponuntur actus *Providentiæ divinæ*, si ut opus ad extra seu actus emanans consideretur, & ordinem naturæ in numerando si sequamur, *Conservatio, Concurfus & Gubernatio*;) (2) *Quatenus eam in genere* ut παντεπισκοπιήν & περιπάσην πρόνοιαν intuemur, (3) *per creationem menti humanæ sit firmiter impressa*, adeo, ut merito, *judicante*

cante Photio, (4) *αὐτόητος ἢ κατὰ τῆς προνοίας ἐπίνοια*. Nihilominus tamen ex ea parte, qua in specie actus illius, qui audit *concurfus*, examinatur, parum plane ex lumine naturæ illum fluere plerique omnes fatentur. Posita conservatione rerum omnium & gubernatione, non statim *concurfus* divinus, ut in Theologia exprimitur, ponendus esse videtur, ad motam enim quæstionem: Utrum DEUS, si voluisset absq[ue] proprio *concurfu* mundum conservare & gubernare, id etiam potuisset? Schola Peripateticorum constanter respondet: *Res naturales vi sibi insita principaliter agere*, etsi in modo non undique consentiant: (5) Alii prorsus contendunt nullo argumento posse impugnari, quod DEUS non potuisset alteri Creaturæ immediatum *Concursum* in cæteras permittere. (6) Hinc de Veritate existentia quædam prius dicenda esse magno pere censeo.

(1) *Stabli Regul. Philosoph. Part. I. in Append. Reg. IV.* (2) *Scherzeri Systema Loc. VI. §. IX.* (3) *Photius Epistol. CXII. p. 60. 61.* (4) *Idem Epist. XXXI.* (5) *Basonis Philosoph. natural. lib. II. artic. IV. intent. III. in libb. de forma.* (6) *Rod. de Ariaga in Diss. X. de Physica subsect. III. Sectionis I. m. e.*

§. II.

Tres vero proprie dantur viæ ad veritatem rei feliciter perveniendi; vel enim innatum omnibus lumen naturæ nobis languidius præluceat; vel revelatione divina in viam clara & candida luce reducimur; vel etiam experientia quadam dilucide edocemur. Esse *concursum* divinum tam ex lumine naturæ, quam gratiæ, verbum DEI puto, satis feliciter haberi potest, hoc tamen interveniente discrimine, ut prius probabilitatem

litatem

litate saltem creet, apodixin posterius; Nihil enim tam altas in natura egit radices, quod non, peccati veneno cum natura sit infecta, moveri, ni penitus eradicari posset; Ipsa innata DEI notitia, quam recte lumen vocites inextingvibile, malitia hominum adeo confunditur, ut impius, etsi ad tempus saltem, eam etiam habeat ut extinctam & nullam prorsus. (1) Non vero hic nobis lumen naturæ commemorantibus, animus est, ea, quibus scatent fere Scholasticorum volumina & nostratum Philosophorum paginae, excerpendi; adeat qui eorum salivam amat, *Suarezium* (2) *Thomam Bradwardinum* (3) *Scheiblerum* (4) *Classem* (5) & sexcentos alios; saturitate mox exhibit ebrius. Id non hic dissimulare possum, quod sedeat mihi mens subtilissimi *Roderici de Arriaga*; *Quod valde difficulter possit ratione probari contra Durandum immediatus DEI influxus in omnes effectus cause create* (6); revocatis enim *de Arriaga* argumentis quibusdam rationis ad veritatem, sine opere ista subnervavit & exarmavit, & quæ intacta præterit, cum justa perpendere voluerit libra Theologus quidam Hamburgensis, reperta sunt levissima (7).

- (1) *D. Alberti August. Confess. contra P. Deiz Cap. IV. Thes. I. §. 3.*
 (2) *In Metaphysica Disp. XXII. Sect. I. n. 1. & 2. seqq.* (3) *In Lib. I. de causa DEI contra Pelagianos c. IV.* (4) *In Opere suo Logico Part. II. de Topicis cap. III. n. 97. & seqq. ut & in Parte speciali Metaphys. Oper. lib. II. cap. II. Tit. XIX.* (5) *Theolog. Natural. lib. I. cap. XLVII.* (6) *Loca supra citato sub sectione secunda n. 17.* (7) *D. Christ. Krumbholz conscripsit Dissertationem: Quod neque decreta, neque concursus DEI necessitens actiones nostras liberas tum in Sphæra nature, tum gratiæ, in ista vide Cap. I. §. X. XI. seqq. qui & Scherzerum & Hülsemannum in hanc sententiam allegavit.*

§. III. Sanct

§. III.

Sane *Sacer Codex*, Regula credendorum ac faciendorum certissima ac unica, hic ni esset, pura mente atq; integra in utramque partem res disputari posset; ast nunc concursus istius divini, Scriptura eum aperte præmonstrante, existentiam in controversiam vocare, mentem crudelissime vexaret. Bene ergo fecit Arriga (1) Scripturam in fronte constituens; sed male, adjiciens; *Loca Scripturæ non faciunt conclusionem de fide, sed summum longe probabiliorem?* Quid igitur facit fidei conclusionem? Papa forsan? Homo totus ex fraude & mendacio in religionis negotio compositus. Ex affluente autem Dictorum Scripturæ Sacræ numero bina saltem in medium ut proferam primores in partes lego verba Salvatoris nostri. (2) ἡ πατὴρ μὲν ἕως ἀγῶν ἐργάζεται, καὶ ἐργάζομαι. Quæ hic vel verborum *nexus*, vel eorum *explicatio* postulare posset, omnia mitto, cum à citato *Theologo Hamburgensi* satis superque sint exposita; (3) id tantum dicens, quod Judæi, hostes Salvatoris crudelissimi, hoc effatum CHRISTI ratum habeant, id unice ægerrimè ferentes, quod se ad DEUM comparet. Quæsitum ergo est & adhuc est in quæstione, *quæ vis sit verbi ἐργάζεσθαι?* nil nisi opus aliquod facere, (4) quod non secus, ac si influat quidam & agat simul in certum objectum, fieri potest, & sic tum *influxum*, tum *actionem* requirit. Hoc ἐργάζειν, seu ἐργάζεσθαι cum nunc Salvator noster affirmet de se & de Patre suo, concedentibus Judæis, videndum erit, quomodo ad DEUM & CHRISTUM applicari possit. Id ut cuivis eo melius constet notandum venit (N) quod DEUS quidem in essentia sua sit *actus purus*, sed respectu tantum

tum

tum potentiæ passivæ, quæ nunquam est sine imperfectione; omne vero imperfectionem involvens prorsus à DEO absit: non vero intuitu cujusvis potentiæ v. gr. activæ; Hinc DEUS nunquam fuit, nec est, nec potest esse in otio, alias non esset actus. (2) Quod operatus sit ab æterno & adhuc operetur & in æternum operaturus sit *duplici modo*; partim *operibus κατ' ἐσω*, & hinc *opera ad intra*, quæ intra Deitatis sinum fiunt; partim *operibus κατ' ἔξω ad extra*, quæ tam fiunt à *Ἐ* in Deitate simul, quam à Deitate tantum. Si repetamus *Opera ad intra*, utpote, *Generationem activam*, *Generationem passivam*, *Grammaticæ sumtam seu nativitatem*, & *Processionem*; istæ operationes ab æterno fuerunt, indefinenter sunt & erunt; ab istis ad intra DEUS nunquam cessare potest. Gignit perpetuo Pater Filium, eoque Filius semper gignitur, & dum Filius gignitur una cum Patre uno eodemque actu spirat Spiritum Sanctum, de quibus plura balbutire scopus meus nunc non est. Respicimus potius *opera ad extra*, quæ abeunt in duas partes, quorum alia fiunt tam in *Ἐ* à Deitate, alia non tam in *quam à Deitate*. Quæ sunt in *Ἐ* à Deitate sunt proprie *opera interna*, quæ cum *operibus ad intra* non sunt confundenda; sic sunt *opera interna*, *Decretum de Redemptione Generis humani*, *de vocatione Ἐ prædestinatione* & sunt immanentia (5): Quæ sunt à Deitate nec in DEO, ideo & vocantur transeuntia, sunt *Creatio*, *Redemptio*, &c. nec ab æterno fuerunt & quoad nonnulla etiam in æternum non durabunt. (3) Quod quævis *operatio divina Externa* (& ita quoque quæ sunt postremi generis, eorum scilicet operum ad extra, quæ non sunt in, etsi sint à DEO) vel consistat in *creatione*, ut nova DEUS creet, vel in *immediato concursu*,

C

qvo

quo simul *cum* & *in* creatura agat, nam alius operandi modus non datur, de quo ἐργάζειν in proprio sensu usurpari possit. Memini quidem me hoc dictum Johannoticum sic etiam expositum legisse *Operatur semper rerum conservatione ac gubernatione* (6); ast quod cum pace tantorum virorum dicam, *Conservatio & Gubernatio* non sunt proprie *Opera* seu *Actiones*. *Conservatio est saltem duratio rei*, quæ, ut jam abstineamus à vocabulis quantitatis, moræ, extensionis, nihil aliud est quam permanentia ipsius rei actualis; *Conservatio enim nihil addit creationi, nisi permansionem influxus in esse rei.* (7) Et sic quoque res se habet cum *gubernatione*, quæ est rei vel jam peractæ, vel quæ jam agitur, directio & versatur quidem circa opus, non vero opus est ipsum, seu *Operatio*; Ubi esse debet ἐργάζειν seu ἐργάζεσθαι, ibi necessario vi vocis & debet esse vel creare nova, vel immediato quodam influxu & concursu in aliquod objectum agere. (7) De priori vero de *Creatione* hic non esse sermonem facile colliges ex v. 3. *Cap. II. Geneseos*, quod dicitur *DEUS cessasse ab operibus creationis*; non creat ergo novas species, quia quas creare voluit, primo sextiduo creavit, ut B. Calovii verbis utar. (8) Hic non ignarus sum distinctionis nonnullorum nostratium Theologorum, *inter ordinarias & perpetuas mundi partes & extraordinarias*, & quod velint cessasse quidem *DEUM* à prioribus, sed non posterioribus, cum novum non sit *DEUM* extraordinarie nova quædam creasse; Et quærenti quænam? respondent ex *Articulo primo*, *Iridem seu arcum cælestem, cometas, corpora à Filio DEI & Angelis assumpta in V. & N. T.; Tribulos post lapsum è terra progenitos, insecta item & venenata animalia*: ex *Articulo II*do proferunt *Animam CHRISTI*;
 ex

ex Illtio, Mortem & peccatum; sed omnes & singulas has objectiones brevi & solide resolvit B. Affelmannus excepto uno exemplo de Cometis. (9) Ad istud vero non adeo pridem Per-Illustris noster Casparus Bartholinus plene hisce verbis respondit, (10) Neutiquam concedendum est Aristotelicis cælum esse expers generationis & corruptionis, quod patet non solum NB. ex Cometis, sed & ex maculis solaribus. Nam idem fere accidit in sole, quod in liqore ad ignem effervescente, cui spuma ex particulis diversa natura supernatat. Stat ergo suo talo Thesis. Quod DEUS intra sextiduum absolverit omne opus creandum, nec postea nova quaedam creaverit; Stante vero hoc, quod ἐργάζειν hic non possit ad creationem quandam flecti, remanet alter sensus, quod ἐργάζειν seu ἐργάζεσθαι de DEO usurpatum requirat immediatum concursum in subjectum. Et hac via ex notione hujus vocis, de DEO usurpatæ, astruere impræsentiarum voluimus Concursum divinum, aliis ut ex scopo Textus etiam firmissime demonstrarent relinquentes.

- (1) Diss. Phys. X. subsect. secunda in fine n. 9. (2) Job. V. 17.
 (3) Cit. Dissut. Cap. I. §. XVI. (4) Stephani & Svide Lexica.
 (5) Job. Ben. Carpzovii Dissp. Isagog. in Chemnit. Loc. I. Cap. IV. §. II. p. 224. confer p. 576. (6) Præter Commentatores in h. l. ut adhuc alium adducam, vide B. Calov. in Comment. in Genes. Cap. II. 2. (7) Vide Ebelium in Colleg. Metaphys. part. spec. Diss. V. Artic. V. punct. II. (8) Loco citat. (9) In Appendice Scriptorum suorum pag. 73. (10) In Disputat. VII. Thesis Philosophic. hoc Anno d. XXII. Maji habita Thesis II.

§. IV.

Alter locus qui præ cæteris urget divinum concursum est, qui legitur Actor. XVII. 28. ex quo Magnus quidam Ecclesie nostræ Theologus divinum hunc concursum adeo probavit, ut plura isti addere esset, soli lucem accendere (1).

Tria hic imprimis notatu digna veniunt: *Primum* quod tres distinctæ locutiones occurrant, (α) ἐν αὐτῷ ζῆν, vivere in illo, (β) ἐν αὐτῷ κινεῖσθαι, moveri in illo, (γ) ἐν αὐτῷ εἶναι, esse in illo. Deinde quod in hoc dicto non agatur de esse hominum, quod DEUS ipsis largitur, sed de iis, qui jam actu existunt, c. 17. & dicatur saltim quomodo cum homine existente sit comparatum, quod in DEO sit, in illo moveatur, in illo vivat. Tandem, quod per vivere in eo intelligatur *Conservatio*, & vivere in eo sit idem quam per eum, conservante eo, uti ista locutio etiam de vita spirituali legitur (2) per moveri vero in eo concursus divinus, quod per eum influxum, quicquid agimus, agamus: κινεῖν enim proprie notat motum ut testantur Græcorum proverbialia πάντα λίθον κινεῖν, πάντα κινεῖν, πάντα λόγον κινεῖν, omnem lapidem movere, item ἀκίνητα κινεῖν, non movenda movere (3); In eo esse, Gubernationem ostendat, ut dirigamur ab eo in eum, quem possidemus, statum. Ut ita omnes tres distincti Providentiæ actus hic aperte lateant. Alia loca tam V., quam N. T., cum temporis ratio sit habenda, sciens volensque prætereo (4).

- (1) Job. Faustina in Disf. Theolog. de Divina Motione ex verbis Act. XVII. 28. Rudrauffi Philosoph. Theologic. de Providentiæ Divina J. 28. seqq. (2) Rom. X. 5. (3) Stephani Lexicon. (4) Deut. VIII. 17. Job. X. 8. 10. Psalm. CXXXIX. 13. LXXI. 6. Jerem. I. 4. Prov. I. 1.

CAPUT III.

De Explicatione

DISTINCTIONUM AD CONCURSUM DIVINUM FACIENTIUM.

SUMMA-

SUMMARIUM.

§. 1. De necessitate distingvendi. §. 2. Distinctio prima in Sphæra naturæ & gratiæ & simul quotuplex sit status hominis & quomodo hæc distinctio subdistingvatur. §. 3. Distinctio secunda in generalem & specialem, diversa istius explicatio, vera; est tam in Sphæra naturæ quam gratiæ. §. 4. Tertia Distinctio, inter Concursum Physicum & Moralem; quid sit exemplis illustratur. §. 5. Quarta distinctio inter concursum mediatum & immediatum. Klotzii & Rudrauffii explicationes allegantur & quod uterque sit in sphæra tam naturæ, quam gratiæ ostenditur. §. 6. Quinta distinctio inter concursum prævium seu prædeterminatum & inter simultaneum & concomitantem; hæc circa hanc distinctionem mota tam in Pontificiorum, quam Reformatorum Ecclesia; quid sit prævium; cur rejiciatur; quomodo in Ecclesia nostra à nonnullis concedatur; cur melius abstinatur; quid sit concomitans. §. 7. Applicatio ad rem & unum alterumve simul inspergitur notatu dignum.

§. I.

EVieta satis concursus divini veritate, distinctionum quarundam enotationem tractationi ipsi præmittendam esse, jure meritoque censeo. Veritati enim plane respondet, quod vulgo dicitur; *Errorum genitrix est æquivocatio semper*: Hanc vero nemo feliciter declinare poterit, nisi satis acute, quæ sunt secernenda, distingvit. Non ille tantum, qui bene distingvit, bene docet, sed & bene discit; τὸ λέγειν τι, καὶ μὴ περιδιασέλλεσθαι τὰ λεγόμενα τὰ σημαίνόμενα, ἢ δὲν ἕτερόν ἐστιν, εἰ μὴ πάντα συγχεῖν, καὶ ἀσαφῆ σπένδειν εἰς τὰ, περὶ ἧν ἡ ζήτησις. Ὅπερ ἀλλότριον ἀνδρὸς λογικῆ κατέστηκε, optime judicavit Maximus Monachus in Disputatione cum Pyrrho. (1) Rem vero sic agam,

ut primum distinctiones, quæ in nostra materia non solum usitatae, sed etiam quotidianae sunt, cum genuina explicatione apponam; appositas deinde materiae nostrae rite adjungam.

- (1) *Baronii Annal. Ecclesiast. Tom. VIII. pag. 263. è Versione Francisci Turriani sic fluunt: Dicere quippiam & non distinguere prius significata in eo, quod dicitur, nihil aliud est, quam omnia confundere & ea studio relinquere operata, de quibus queritur: quod est alienum à Viro discernendi perito.*

§. II.

Prima merito & primaria est Distinctio inter concursum divinum in sphaera naturæ & sphaera gratiæ. Hac enim, ut à nonnullis solet, turpiter neglecta, videmus quanta perturbatio Articuli primi & tertii symboli nostri Apostolici consequatur, quanta confusio? Fundamentum hujus distinctionis est duplex hominum status, quorum alter est animalis, spiritualis alter. In animali statu consideratus constat æque ac reliqua animalia ex Materia & Forma, ex corpore scilicet & anima, quæ in homine est rationalis; seu, si nonnemo Cartesianorum judiciis stare potius vellet, qui in statu animali hominem triplici respectu intuentur, & triplicem in homine animali naturam affirmant, unam corporis, alteram animæ, ultimam ex duabus antecedentibus surgentem & compositam, eoque etiam triplicem ipsi assignant vitam, unam corporis, seorsim spectati in actu & motu corporeo; alteram animæ, consistentem in cogitatione; Ultimam hominis compositi in mixtis utriusque generis actibus. (1) Sub triplici hoc respectu homo referendus esset in concursu divino ad sphaeram naturæ. In statu autem spirituali homo est, quatenus sub sphaera gratiæ vel

vel

vel per *actus luminis naturalis pedagogicos* ad DEUM ducitur, vel per Verbum & Sacramenta vocatur, trahitur, affertur ad eum dum regeneratur, (2) quem *concursum* in Sphæra gratiæ & alii vocant *gratiosum*. (3) Uterque hic concursus tam in Sphæra naturæ, quam gratiæ ad æque abit in sequentes ramos seu divisiones; Uterque vel est *Generalis*, vel *Specialis*; vel *Physicus*, vel *Moralis*; vel *Mediatus*, vel *Immediatus*; vel *simultaneus*, vel *prævius*. Materia vero in Sphæra naturæ, cum fit tota diversa à materia in Sphæra gratiæ, habet etiam concursus in Sphæra naturæ circa allegatos terminos generalis & specialis, physicus & moralis, &c. magnam dissimilitudinem cum concursu in Sphæra gratiæ. Non is est concursus generalis & specialis, physicus & moralis in Sphæra gratiæ, qui est in Sphæra naturæ, ut, quæ consequuntur, plurimis dabunt.

(1) Joh. Clauberg. *Opp. Philosoph. p. m. 216. eA' in Tractata de Coniunctione Corporis & Animæ in Homine Cap. X. §. 3.* (2) 1. Cor. 11. 14. & aliis Scripturæ locis. (3) B. Quenstedii *Systema P. I. Cap. XIII. Quest. III. in §. 3. Stat. Controvers. n. 6.*

§. III.

Secunda Distinctio est inter concursum divinum generalem & specialem. In explicatione hujus distinctionis sunt ferme tot sententiæ, quot homines; Compulit in unum locum & congregavit illas supra laudatus Theologus Hamburgensis. (1) Alii *concursum universalem*, seu *generalem*, seu *communem*, (hi enim termini unum volunt idemque) sic exprimunt, *ubi DEUS per modum cause universalis operatur*, & illis est *concursum specialis vel particularis*, (quæ iterum sunt duo nomina unum saltem notantia) *ubi DEUS per modum cause particularis operatur*;
 Quidam

Quidam ita quasi adumbrant *concursum generalem* ut sit operatio quæ fit virtute generaliori; *specialem* autem, quæ fit virtute specialiori; Sunt etiam, qui, ut Rhetorfortis (2) verecunde & dubitanter hic faciunt, hodie *concursum generalem* vocantes, qui versatur circa agentia in Sphæra nature, *specialem*, qui in Sphæra gratiæ; cras vero *generalem*, qui determinatur à causa secunda in genere causa materialis, dum *concursum* modificatur, quatenus recipitur à causa secunda juxta naturam, modum & exigentiam nature recipientis. & sic particularis esset, particularizans (ut loqui amant) actionem cause secunde; sed cur tempus tero rebus, quas tamen in scrupulosum jam vocare examen minus placet? Promitto mihi, ni omnes, plerosque tamen consentientes, quod allatæ descriptiones sint mancæ quodammodo & inchoatæ. Ut mea opinio fert est *concursum generalis*, quando DEUS cum causis secundis in sua nativa potentia agendi conservatis & in actu ad agendum per naturam constitutis immediate concurrat v. gr. cum Sole dum lucet, cum animali dum generat, seu alias actiones animales edit, &c. *Specialis* vero, quando per *concursum divinum* causa secunda in sua nativa potentia quidem conservata NB. non vero in actu ad agendum per naturam constituta, ad agendum applicantur. Hic *specialis concursum* duplici modo fit à DEO: *Primum* quando DEUS causis secundis virtutem agendi vel plane supernaturalem confert, vel naturalem amissam aut debilitatam restituit, confirmat & auget v. gr. cum Simson fracto actionum suarum columine, (virtutem seu robur volo à DEO singulariter membris suis & nervis concessum) frangeret duo præcipua ædium columina, itaque manibus suis minimæ fiducia tot Philistæos tolleret, quot non, cum viribus adhuc vinceret

ceret

ceret omnes, vita expulisset (3); vel si Sarah, plus annis nonaginta nata, ex Abrahamo majore centum annis, ventrem ferret & ab infructuosis vitibus ita fructus caperetur lætissimus (4). *Deinde specialis dicitur concursus cum DEUS causas secundas per naturam in actu constitutas impedit, quo minus effectus sequatur, prout v. gr. inobedienti populo denuntiat quod aër concretus, in nubes qui cogitur, terram imbribus non auget vel leviter implueret (5), seu cum sancta Virorum triga in fornace Babylonico subjecto igne non tabesceret (6). Sane! in sinu gavisus sum, cum hic ex improvise præeuntem viderim B. Joh. Gviel. Bayerum, Theologum nostræ Ecclesiæ incomparabilem (7). Sic etiam res se habet oculos, si feramus in Sphæram gratiæ; Hic per generalem intelligimus, quando DEUS cum Verbo & Sacramento in sua natura potentia agendi conservatis & in actu ad agendum rite dispositis concurrat immediate; per particularem, seu specialem vero quando DEUS cum Verbo & Sacramento in sua nativa potentia conservatis NB. non vero in actu ad agendum debito constitutis concurrat, v. gr. si vel à Doctore, non recte, seu distincte, sed falso & confuse, non fideliter, sed pigre Verbum DEI proponitur, vel ab auditore, non devote, sed perfunctorie non cum animo vitam emendandi, sed ut tempus saltem conterat, vel consuetudini se attemperet, vel ut habeat, quod maledictis figat, auribus percipiatur & sic non in debito actu ad agendum constitutis ad agendum tamen applicatur: quod hic etiam, ut in Sphæra naturæ, duplici modo fieri possit, cuiusvis sponte in mentem & oculos incurret.*

(1) *In citat. Diss. pag. 44.* (2) *In Diss. Scholastica de divina providentia.* (3) *Judic. XVI. 29.* (4) *Genes. XVII. 16. 17.*
 D (5) *Dens.*

(5) Deut. XI. 23. & alibi. (6) Dan. III. (7) In Compend. Theologie in loco de Providentia §. VIII.

§. IV.

Tertia Distinctio est inter Concursum DEI physicum & moralem. *Physicus est, quo quis vere & realiter in effectum positivo influxu agit. Moralit, qui fit propositis objectis & occasione vel suadendo, vel dissuadendo.* In utraque Sphæra est uterque hic concursus; In Sphæra naturæ est concursus *physicus idem, qui supra erat tam generalis, quam specialis, quorum jam mentionem fecimus. Concursus moralis vero est, quando vel per naturam, sive interne in homine, sive externe, extra hominem consideratam, vel dormientem excitat, vel currentem incitat (1), vel per varios naturales casus homines huc & illuc flectit & reflectit (2).* In Sphæra gratiæ est concursus *physicus, iterum, qui antea erat concursus generalis æque ac specialis; Moralit vero quando DEUS per lumen naturæ, vel internum, vel externum ab errore in viam revocat, vel in angustiis animum reddit (3), vel per varios fortune casus impios ad se totos convertit & rapit; bonos vero in stadio veritatis alacriores reddit, &c.*

(1) V. gr. *Interne, si vis laudabilis naturæ in Davide seu alio ita effervescent, ut magis indole animi, quam spe præmii sit fortior, diligentior. Eo enim naturaliter inclinare solemus, quo nos ingenuis vis deserit; hic in actum volendi DEUS quidem physice concurrat, sed cum actus voluntatis nos moveant, ad id saltem moraliter. Externe, si ab æstivis floribus apes ab alveario celo sereno invitentur atque abelegantur, ut susceptor quendam & lentorem ex eis exsugant, quo propolin deinde, erithacen, favum & mel conficiant, hæc enim quatuor res faciunt apes, &c. (2) Sic terrenis malos vestigia tantum malorum, quam bonorum & pii exemplis sæpius & iudicis divinis arguantur, &c. (3) Rom. I. 18. seqq. II. 15.*

§. V. Quarta

§. V.

Quarta Distinctio est inter Concursum DEI mediatum & immediatum. Terminos in genere exposuit B. Klotzius (1): Immediatus, inquit, & per se est, qui tendit directe in omnes actus rerum creatarum; Mediatum & per accidens est, quo ille dicitur concurrere ad agendum, qui dedit essentiam & potentiam, unde fuit actio, ita tamen ut immediate actionem non efficiat, quemadmodum v. gr. generans est causa actionum, quæ sunt à generato. Mitto hanc definitionem, lucem etsi afferat rei nostræ non minimam & ex Giessensi quodam præclaro Philosopho & Theologo plenius appono (2), quod DEUS duplici sensu dicatur agere mediate (1) quæ agit non immediate se solo & exclusis causis secundis, (2) quæ illis largitur & conservat ad operandum vires. Idem Autor exponit & plene concursum immediatum ita, quod sit is, quo DEUS immediate, immediatione non solum suppositi, quæ, dum presentissimus est ubique & Causa & Causato, prout Scholastici illam immediationem suppositi in adessentia DEI substantia immensa & illocali fundant, evidens est; sed & immediatione virtutis, ut immediate, non mediante saltem alterius virtute, suam potentiam ad actum traducat, adeoque presentiam efficacem exhibeat, quam efficacem presentiam & omnipotentem operationem vocant immediationem virtutis, ordinarie cooperatur & in effectum coinfluit. Et dum alias quatuor concurrendi recenseri solent modi. 1. Quæ DEUS causis secundis concedit agendi facultatem. 2. Quæ Causam secundam movet & applicat ad agendum, ut artifex instrumentum. 3. Quæ simul cum causa secunda influit in operationes & effectus. Ultimus hic asseritur, rejecto primo exclusive accepto. Dico exclusive, quia mediatum ille primus in se non negatur, verum dum à Durando tanquam sufficiens pro-

pugnatur, falsitatis & hereseos Pelagiane damnatur ab omnibus. Secundus modus nunc non tangitur, cujus falsitas ostendetur Q. seq. Tertius, qui negative se habet, dum DEUS ad individuationem actus determinat non influendo, sed influxum subtrahendo, alienus est à concursu positivo (3). Quibus nihil addere debeo, nisi quod tam mediatus, quam immediatus in utraqve Sphæra gratiæ & naturæ locum habeat; In Sphæra naturæ ex jam dictis abunde patet; in gratiæ immediatus est, quando extraordinarie absque prædicatione Evangelii & applicatione Sacramentorum tunc & nunc, vel in adultis gentilibus, vel in infantibus, luci nondum expositis, fidem accendit; Mediatus, cum mediante Verbo & Sacramentis, quibus interdum adjicit varia calamitatum genera, operatur.

- (1) In Pneumat. Diss. XVI. §. 35. (2) Rudrauffius in Philosoph. Theolog. Exhibitione XVIII. de providentia divina §. 31. p. 267.
 (3) Idem l. c. §. 26. pag. 265.

§. VI.

Quinta Distinctio est inter Concursum prævium seu prædeterminantem & inter simultaneum & concomitantem. Intelligentia hujus Distinctionis accurate erit explicanda, & sollicitius excutienda, ut eo facilius & feliciter tam Papistarum nonnullorum, quam quorundam Reformatorum tela repellere valeamus. Quæ in fine Seculi quinti acriter agitata fuerit in Hispania & Italia, postmodum in Gallia & Belgio, nec non in ipsa Germania inter Dominicanos & Jesuitas prædeterminationis ergo contentionsis ferra, est res pervulgata & clara; eousque crescebat controversia, ut Dominicani prædeterminationem defendentes Jesuitas ut pernegantes Pelagianismi postularent; Jesuitæ vero Dominicanos in numerum Calvinianorum referrent. Rem absolvit hic omnem

omnem *Beatus* & *perspicuus* noster *Kromayerus*, quem audire semper mihi volupe est. *Accepit*, sic sonant ejus verba (1) *ista prædeterminatio nomen, quod ex Dominicanorum principiis humana voluntas à DEO jam determinata seipsam quoque determinet ad hoc vel illud faciendum. Desiniunt prædeterminationem illam decretum voluntatis divinæ absolutum & efficax, quæ DEUS voluit talem actum liberum fieri ab homine, antequam præsciret absoluta vel conditionata scientia (conditione pendente à libero arbitrio creato) hominem actum illum producturum, & antequam voluerit esse & applicari causas, quæ actum illum in tempore sint producturæ. Hanc prædeterminationem faciunt duplicem, aliam physicam, realem influxum DEI in voluntatem applicantem eam ad volendum determinate unum quoad speciem actus & ejus exercitium: aliam moralem, seu voluntatis inclinationem ab objecto factam. Supposità vero inefficiã promotionis moralis ex parte actus, concludunt, non alia ratione, nisi ex physica prædeterminatione certum esse, ac infallibilem, aut intelligi posse divinæ providentiæ & prædestinationis ordinem ac eventum. Inter hanc Dominicanorum prædeterminationem & Calvinianorum determinationem verbale tantum discrimen videtur intercedere: in re ipsa vero esse consensum. Si quid tamen discriminis interest, in eo videtur consistere, quod Calviniana determinatio non tam causam secundam liberam, quam ipsam actionem indifferentem determinet, antequam in ipsam actionem influat. Hinc & *Dominicani* propositiones de futuro contingenti ex se & quoad realem existentiam alterius partis nec determinate veras esse, nec determinate falsas volunt, attamen decreto DEI prædefinitivo, ac prædeterminativo evadere determinate veras & determinate falsas. Contigit vero huic certamini inter *Papistas* ille tandem exitus, quem *Jesuitæ* optarunt, ut nunc communior apud *Papistas* stet opinio contra præde-*

terminationem, ut præter alios Conimbricenses satis superque probant (2); Inter Reformatos, unde vox concursus fides ipsis jam est in oculis (3), quæ majoribus suis alias non adeo ingrata, (4) cæperunt hic consideranter & mansuete loqui. Prævius, inquit inter hodiernos Reformatos præcipuus (5), *concurfus (qui tamen improprie concursus, proprie operatio dicitur) qui influit in ipsam causam secundam, eam ad agendum prædeterminat, adeoque NB. creature actum non tempore, sed ordine, dignitate & præcellentia præcedit, quia omnia sunt ex DEO, & per eum, quin & in ipso movemur, Actor. XVII. 28. (alioquin cum sine determinatione subjecti ad agendum actio procedere non possit; creatura DEUM determinaret ad agendum atque sic DEUS creatura subficeretur)* Hunc concursum prævium & prædeterminantem unanimi rejiciunt consensu nostrates Theologi, omnesque qui æquum judicare possunt. Inviecto argumento dedit acutissimus Dannbauerus (6), quod non possit non, prædeterminationem defendens, DEUM Autorem peccati constituere, quod tam insulsum, quam impium ipsi videtur; Præterea qui rationem non amisit sanam facile discrimen sentiet, quod est inter prædeterminationem & concursum. Circa quod tamen id meretur observationem quod præviam motionem non tollamus omnem, sed Thomistico-Calvinisticam tantum. Conceditur (a) in spiritualibus, ita tamen, ut homo possit resistere & non consentire, adeoque stante præmotione possit non moveri: (β) quando in civilibus per modum svasionis & suggestionis, sed rursus absque necessitatione: (γ) conceditur interdum extraordinarie præmotio necessitans & omnem differentiam præcludens (7). Et est istud, quod Thomistico-Calvinisticum concursum præ-

præ-

præviū a Lutheranorum præviolatē secernit, quod Thomistico-Calvinisticus semper & ordinariē esse velit; Lutheranorum non semper & extraordinariē; item quod Thomistico-Calvinisticus omnem hominē auferat libertatē agendi; Lutheranorum non item, quod ille hominē novam quādam influat qualitatem, cuius hic penitus ignarus; Sed, verum ut fatear, res si in mea manu esset, retrahere me potius vellem ab hac locutione, crimine etsi innoxia, in materia de concursu, quā illam adhibere, cum hic non agatur de eo quod extraordinarium est, sed quod constitutum; & quod in moralibus & Sphæra gratiæ concursus prævius rectius dicatur *gratia præveniēns & excitans*, quā *concursum prævius*; Non pure & integre sic loquimur. Simultaneum & concomitantem concursum nonnulli sic exprimunt; Quod sit ipsa actio causæ secundæ ut à DEO procedit; utrum vero, quæ sequitur Definitio Heideggeri huic sit præponenda? Simultaneus est, quæ per modum actionis conjunctæ, quæ unam & eandem actionem simul cum causâ secundâ DEUS producit, ita ut causâ primâ & secundâ una actio sit, aliorum iudicio relinquo (8). Quomodo vero hic concursus concomitans tam sit in Sphæra naturæ, quā gratiæ ultro se cuiuslibet offert.

- (1) In *Historia Ecclesiast.* pag. 552. (2) In *Physica* Lib. II. Cap. VII. *Quest.* XII. & XIII. plures Auctores congressu Rudrauffius in *Philosoph. Theolog. Exhib. XVIII.* de providentiâ §. 40. (3) Vide Braunnium de doctrina fœderum Vol. I. Part. II. Cap. XII. loc. VI. §. XII. (4) Chamier in *Panstratia* Tom. III. Lib. II. Cap. V. ac Wendelinus *Systemat. major.* Lib. I. Cap. VI. *Thes.* XI. & XII. (5) Heideggerus in *Corpore Theolog. Christ.* loc. VII. in medio §. XXX. (6) In *Hedonomia Papæ* pag. 901. (7) Rudrauff. loc. cit. §. 40. (8) *Lose citat.*

§. VII. Plus

§. VII.

Plures distinctiones afferre superfedeo, cum in adductis omnes inclusæ quiescant, allatas saltem in usum & scopum vertens præsentem. Sermo ergo nobis est de *concurso divino* (α) *in Sphæra naturæ*, non *gratiæ*; nam *gratiæ* pertinet ad conversionem hominis latè sumtam. (β) *De concurso generali non specialis*; nam *specialis concursus* plerumq; versatur inter miracula & inter ea, quæ consuetam naturæ legem transgrediuntur, & hic concursus recipit magis & minus. Adscribit quidem & hoc influentiæ communi *Job. Adams. Osiander*; (1) sed exempla, quæ affert, sunt *concurfus specialis* nec *generalis*. *De concurso generali* res non est in tuto, si dicatur quod admittat *magis & minus*. Nam eo ipso, quod toti creaturæ sit communis & universalis, communicat se indifferenter, sic v. gr. in Logicis. Omnia Genera sunt universalis, eo huic Speciei non minus competunt vel magis quam alteri. Animalitas non magis competit homini, quam bruto; sic etiam species respectu individuorum sunt universales, sed non magis & minus insunt uni individuo, quam alteri. Petrus non magis vel minus est homo, quam Andreas, &c. (γ) *tractamus physicum non moralem concursum*; eoq; ad nos non attinet quæstio. *Utrum ad actiones liberas irrogenitorum DEUS concurrat non tantum generaliter, sed etiam moraliter suadendo per objecta externa & vires suggerendo, quod affirmat citatus B. Osiander* (2) circa quæ tamen ea, quæ animadversione digna, reperiuntur (δ). Exponitur à nobis *immediatus saltem concursus, non mediatu*. Non tamen volumus eam immediationem, qua sine concurso alius causæ efficientis immediate produxit in principio cœlum & terram

terram

terram ; aut immediate ex luto fecit hominem, & ita non concurrat alia causa ejusdem generis, id est Efficiens ; sed eam immediationem, quæ concursum causæ secundæ efficientis simul ponit & quidem eo modo, quo actio hominis v. gr. Intellectio mediate à potentia intellectiva, volitio à potentia volitiva procedit & intellectus sua potentia effectum attingit immediate. Breviter, actio realis, physica & positiva est à DEO immediate & indivisim eo sensu, quo causa immediata dicitur causa proxima, per se ac propria, per identificationem actionis divinæ & humanæ ; verbis hic usus sum B. D. Faustii : (3) Et is immediatus concursus longe distat ab eo, quem sibi format Heideggerus, (4) *Gubernatio*, inquit, *mediata est* (NB. Gubernatio & concursus ipsi æque late patent, (5)) *cum DEUS vel causis secundis non utitur, vel iis supra & præter naturam eorum utitur.* (e) Tandem de concursu simultaneo, concomitante, identifico, nec de prædeterminante, seu prævio dicemus ; de quibus omnibus mox plura.

- (1) Joh. Adam. Osiander in Colleg. Theolog. Systemat loc. VI. Thes. XX. pag. 36. (2) Loco citato Thes. XXI. (3) In Tractatu de Divina Motione Cap. II p. m. 15. adde Rudrauffium in Theolog. Philosoph. pag. 265. §. 25. (4) In Corpore Theolog. Christian. T. I. Opp. Loc. VII. §. 31. pag. 254. (5) Eodem loco §. 87.

CAPUT IV.

De

SUBJECTO QUOD CONCURRIT.

SUMMARIUM.

- §. 1. Cui proprie competit ? & an etiam humana CHRISTI natura. §. 2. Qui hoc necessario negant, nempe qui Multipresenciam nec absolute Omnipresenciam carni CHRISTI
E adscri-

adscribere voluit. §. 3. *Quanam sit mens Theologorum Multipræsentiam urgentium?* §. 4. *Qui hoc absolute concedunt omnipræsentiam scilicet modificatam tuentes.* §. 5. *Quid circa eorum sententiam notandum?* §. 6. *Posterio-rem sententiam facio meam Rationes quare?*

§. I.

CUM causis secundis immediato & identifico concursu concurrere in unam eandemque numero actionem non quenquam posse, nisi qui omnipræsens sit, rectissime credunt omnes. Cum vero non modo non *essentia divina* omnipræsentiam & omnipotentiam in se contineat *essentialiter*; sed etiam humana CHRISTI natura, facta per unionis gratiam idiomatum divinorum communicatione, *personaliter* easdem possideat (Infinitorum enim divinorum idiomatum plenarium usum tam *ratione adessentia seu propinquitatis*, quam *ratione dominii & efficacis operationis* Humana CHRISTI Natura ad dextram Patris gloriosæ collocata incessanter assumit. Etsi enim, *si respectu adessentia seu propinquitatis* Omnipræsentia tantum sumatur, multi *magni nominis Viri & vere Theologi*, (1) jam in statu Exinanitionis humanam CHRISTI naturam omnipræsentem fuisse nec prius, sessione à dextris facta, esse cæpisse non temere affirmant; tamen ratione dominii & efficacis operationis in exaltatione ad dextram, utpote in principio proximo (2) facile cum cæteris eam ponunt) in disquisitionem hic recte venit, *Utrum etiam CHRISTUS secundum humanam naturam concurrat eodem immediato & identifico concursu cum causis secundis?* Cuius satis constabit, quæstionem non esse *de principio*, ex quo humana natura, si concurrat, id præstet; Ut enim omnia attributa ex gratia, nec ex natura habet,

habet,

habet, sic & hoc, quod concurrat cum causa secunda : (quanquam, si quid res sit loqui velimus, concursus non fit proprie attributum divinum, sed effectus & effluxus multorum in DEO attributorum, Omnipræsentiæ scilicet, Omnipotentia Bonitatis, &c.) sed *saltem de re, an, quia CHRISTO communicata sit secundum humanam naturam, quemadmodum omnia attributa divina* (alia tamen in casu recto ut sunt *ἐνεργητικά*; alia mediate in casu obliquo ut sunt *ἀνενεργητικά* (3)) *ita & divina omnipræsentiæ & omnipotentia & CHRISTUS, dextra Patris occupata, secundum humanam naturam illis liberrime & incessanter & plenissime utatur. An etiam Omnipræsens & Omnipotens concurrat ad omnes & singulos actus causarum secundarum?*

(1) Videatur B. Leonh. Hutterus in Form. Concord. Art. 118. p. m. 943.

& Optimus noster Brochmannus in System. Tom. 1. Artic. de Christo, Section. IX. ut & B. Schertzerus in System. loc. VIII. §. XXV.

n. 11. &c. (2) Theologi Giessenses, & qui cum illis faciunt, contra Tubingenses, qui proximum fundamentum Omnipræsentiæ divine posuerunt unice in unione personali duplex fundamentum constituerunt proximum & remotum; remotum locarunt in unione personali, proximum in CHRISTI exaltatione & sessione ad dextram, vide præ aliis Museum in der ausführlichen Erklärung Loc. X.

(3) Schertzeri Systema Loc. VIII. §. XV. lit. λ.

§. II.

Illi qui cum pientissimo Martino Chemnitio (1) non simpliciter ajunt CHRISTI humanam naturam, seu CHRISTUM secundum humanam naturam exaltatum ad dextram Patris esse omnipræsentem & exponunt saltem hanc omnipræsentiæ hæc Adverbiis: CHRISTUM suo corpore esse posse ubicunque, quandocunque, & quomodocunque, vult, & addunt, de voluntate vero ejus ex patefacto certo verbo esse judicandum

(1) itaque non tam omnipræsentiæ exaltatæ carnis CHRISTI

E 2

quam

quam *multipresenciam* statuentes non possunt affirmare CHRISTUM secundum humanam naturam concurrere cum qualibet causa secunda. (Hoc termino *multipresencia* utitur admirandi iudicii & inexhaustæ eruditionis Theologus B. Hulfemannus, qui à parte Chemnitii firmissime stetit, sic enim sonant verba eius in *Calixtinischen Gewissens-Burm*: Am VI. Maji 1632. als Amesius aus Höfflichkeit / wie er fürgab / mir und Herrn M. Andree Sennerto, jeko Professori Ordinario Ebræe Lingvæ auf der Universität zu Wittenberg / das Geleit von Francker nach Harlingen gabe / hats Gelegenheit gegeben von Vergleichung des Zwiespalts unter Wegens und auch zu Harlingen über Tisch zu conferiren / und als ich ihm remonstrirte / das wir weder die Ausdehnung des Leibes Christi / noch die Vermehrung der Anzahl seines eigenen Leibes lehren / sondern die Gegenwart bey allen Creaturen / wenn und wo er wolte / welche endlich auf eine *Multipresenciam* hinaus lieffe / hat er ungeschent gesagt: Ob Christi Leib / ausser der einigen Stelle im Himmel / die Er jetzt bekleiden thäte / an einigen oder mehr Orten auf Erden zugegen seyn / gelehret oder geglaubet würde / oder an 100000. Orten / oder an 10. 20. Stellen / ausser dem Himmel / gelte ihm alle gleich; den Artikel müssen wir fallen lassen / oder es würde keine Brüderschaft. Haben uns also des guten Bruders verzeihen müssen / & lectu hic dignissima sunt verba ipsius in *Prelectionibus ad Formulam Concordiæ et si sint prolixa* (3). *Circa adessenciam substantiæ physicæ corporis CHRISTI in singulis creaturis extra Ecclesiam, Chemnitius nihil voluit definire. Quamquam enim sub finem c. 30. præter mutuam & infinitam præsentiam duarum naturarum in se, præter sacramentalem etiam præsentiam in Eucharistia, denique præter universalem præsentiam in Eccle-*

in Eccle-

in Ecclesia, ponat etiam in quartam speciem, noluit tamen eam vocare presentiam corporis CHRISTI, sed appellavit eam generalem gubernationem, dominationem & subjectionem omnium creaturarum, pecorum campi, volucrum cœli, & quorumcunque operum DEI, quæ CHRISTUS non ex longinquo aut immenso intervallo absens, sed præsens gubernet. Quod lignis, lapidibus aliisque creaturis, quoad substantiam corporis sui & per contingentiam substantiæ corporis ad substantiam physicam singularum Creaturarum iis præsens & adsit, non desinit, sed removet Chemnitius d. l. duabus de causis. (1) quia eo usque scriptura non habeat vocem præeuntem & lucem prælucidam quodque corpus CHRISTI sit in lignis, lapidibus, pomis, quemadmodum etiam extra cœnam est in singulis membris fidelibus, &c. (2) Quia etiam de divina natura, quam ubique esse constat, non solum auditu & cogitatu foetidum sit, sed etiam blasphemum, eam esse in singulis stercoreibus & cloacis, &c. Quæ posterior ratio me non movet: Quia, quemadmodum essentia DEI non inquinatur sordibus materialibus, etiam si in inferno, in cloaca, in lupanari rectissime dicatur esse præsens, videtur generalium, Jerem. XXIII. 22. & 23. Psalm. CXXXIX. 7. 8. &c. Actor. XVII. 27. 28. Ita si exstarent ejusmodi testimonia, quæ presentiam carnis CHRISTI extimam tam late extenderent, quam late extenditur presentia essentia divina, nihil metuendum erat ab iniquatione seu contaminatione à presentia rerum foedarum non magis, quam timendus erat ullus cruciatus, ullaque ustulatio corporis CHRISTI, si liberet illud præsens sistere in mediis flammis infernalibus. Itaque non propter hæc absurda, sed propter defectum evidentium dictorum Scripturæ abstinemus ab extensione presentia corporis CHRISTI ad singulas res creatas. Virtualementem presentiam sive dominationem & gubernationem jure illi tribuimus ob clarissima dicta, Ps. CX. 3. Dominari in medio inimicorum, &c. Ps. VIII. 7. quem locum Apo-

stolus 1. Cor. XV. 25. & 27. Ebr. II. 8. Cap. I. 13. de subjectione sub humana CHRISTI natura exponit: vide ipsum Chemnitium Apologiamque Form. Concord. c. 3. & 4. fol. 96. §. 258. seqq. & c. 2. §. - - Nun ist aber der Streit / ubi statum quæstionis de omnipræsentiâ restringunt ad præsentiam in Ecclesia apud omnes fideles. Et hæc verba volunt tantum Multipræsentiâ.) Hi concedunt quidem Gubernationem & Dominium omnium creaturarum, sed separant eam à præsentia actuali, vocantes hoc dominium saltem præsentiam virtualem, (3) si autem ne de actuali quidem præsentia consentiant, multo minus subscribere possunt concursui humanæ naturæ cum causis secundis; hic enim illam necessario postulat.

- (1) Chemnitius in aureo libello de duabus CHRISTI naturis in editione locis Theologicis Anno 1615. Wittebergæ in Folio excusis adacto Cap. XXX. pag. 196. a & in eodem Capite in fine sermone pag. 205. b. (2) Pag. 219. (3) Pag. 74. seq. in Vindictis.

§. III.

Hic vero paulisper & celeriter mentem horum præcipuorum Theologorum circumspiciendam esse fas duco, ne iniquum de iis ferre iudicium quisquæ cogatur. Animus ipsis non est plane denegare carni CHRISTI omnipræsentiâ; audiamus ipsum Chemnitium (1): Interea nunquam ego CHRISTO DEO ac Domino meo illam potentiam disputando adimere volo, ut dicam ipsum non posse corpore suo ubique adesse; sed de Lutheri consilio, disputationem illam sepono ac prædico, damnari vero, quomodo possit non video; Commodeamus & aures Hulsemanno, sic ille im Gewissens-Wurm (2). Was meine D. Hulsemanns Schriften und Bücher anlanget / bin ich versichert / daß nicht allein diese Proposition nicht drein zu finden: Gleich wie die Gottheit unsers

unsers

unfers Heylandes allenthalben ist / als ist auch sein Leib und seine Menschheit allenthalben / (circa hanc locutionem notandum est, quod hic non intendat ad motam inter Theologos, quæstionem. *An humana natura omnipræsens sit eadem omnipræsencia, quæ natura divina, an vero diversa quodammodo*: Feuerbornius (3) cum aliis prius docuit; alii vero posterius (4); sed *ad modum*: secundum divinam naturam CHRISTUS habet omnipræsenciam ratione Essentiæ suæ infinitæ; secundum H. N. vero ratione substantiæ suæ) (5): sondern auch nichts von der steten indistantz, Nähe und Anwesenheit der substantz des Leibes Christi bey (geschweige den in) allen und jeden Creatura sammt und sonders / Laub und Gras / Bier-Kandeln und Käse-Körben / allezeit und allenthalben / was den *actum secundum* und *perpetuum* betrifft / nur das Vermögen / das Christus seinen Leib bey allen Creaturen stets gegenwärtig *actu secundo* stellen könne / wenn Er wolle / wil ich ungeläugnet haben; sed limitatione saltem evitare voluerunt curiosas Disputationes & silentium agere de iis, quæ Scriptura silentio tegit; eoque ne quidem dicendum erit, quod judicia sua hic suspenderit, vide B. Carpzovium Chemnitium sic sapienter tuentem & defendentem (6).

- (1) *Loco citato pag. 196. a. in fine.* (2) *Cap. II. §. XV. pag. 67. in fine.* (3) *Feuerbornius Fasc. Dissp. Diss. III. de CHRISTI quæ hominis Omnipræsencia in continuat. Diss. II. §. 3.* (4) *Eidem. Becmannus in Compend. Hutteri loc. III. in not. ad quæst. XXXI. §. 18.* (5) *Libb. Symbol. pag. 786. n. 2.* (6) *In Dissp. Isagogic. Loc. IV. Artic. III. num. XXIX. §. 9. pag. 440.*

§. IV.

Qui vero partes suscipiunt eorum, Omnipræsenciam modificatam humanæ CHRISTI naturæ, ad dextram

tram

tram Patris positæ, sine ulla restrictione plene tribuentium, concedunt etiam libenter & permittunt illi *concursum immediatum*; sic enim, ut plurimis unum saltem alterumve adducam, inquit Dannhauerus (1) Schrecklich ist diese Anfüllung denen / die diesen Articul aufs schändlichste satyrisiren und angreifen / entfärben und entblöden sich nicht diesen Artikel aufs schändlichste auszuhollippen / als eine Lehr / damit man lehret / schreibt / schreyet und streitet / daß Christus nicht allein nach seiner Gottheit alles erfülle / sondern das Er auch nach seiner Menschheit mit seinem Leib stracks von der Zeit seiner Empfängnis an allenthalben und an allen Orten gewesen und noch sey / im Himmel und auf Erden / und in allen Creaturen; in Sonn / Mond / Sternen / in Laub und Gras / in allen Kräutern / Bäumen / Baum-Blättern / Aepffeln / Bieren / Hew und Stroh / in allen Steinen / Fischen / Hölzern / in allen und jeden Weizen- und Gersten-Körnern / auch in einen jeden Haß / Brodt und Wein / in allen Bier-Kannen / Wein-Gläsern / Wirths-Häusern / Käsen / Strauben / ja in dem Teuffel und in der Höllen selbst / dieselbe mit Fleisch und Bein gegenwärtig regieret und erhalte / da doch allbereit erwiesen / daß diese Gegenwart eine göttliche / und nicht bloss menschliche Gegenwart sey / und demnach wie GOTT selbst nicht ist in seinen Creaturen räumlich / sondern sie sind / leben und weben in Ihm. Also seye auch die Menschheit nicht in den Creaturen / sondern sie sind in ihr / sie träget sie alle durch sein kräftiges Wort. Hic allegat etiam Autor idem dictum & ex eodem eadem verba, quæ solide alias *concursum divinum* ostendunt (2). Et perspicuus noster B. Brochmannus apertissime loquitur

tur

tur (3) : *Omnipræsentiam CHRISTO homini, quando tribuimus, hoc volumus : CHRISTUM etiam secundum humanitatem, omnibus rebus ita esse præsentem, ut in ipso sint, vivant & moveantur, &c. & mox, hoc unum urgemus, quod λόγος etiam caro factus, rebus omnibus præsentissimus sit & omnia à λόγος non tantum quia DEUS est, sed etiam, quia caro factus est, ita dependeant, ut in ipso sint, vivant, moveantur ; & adhuc clarius & distinctius hoc exprimit B. Carpzovius (4) exponens versum decimum Capitis IV. Epistolæ ad Ephesios. Nec enim virtualis tantum impletio, quæ operationis est, hic intelligitur ; sed ipsa etiam propinquitas CHRISTI secundum carnem, cum ὁ λόγος NB. non tantum in carne, sed etiam cum carne & per carnem omnia impleat & præsens omnia operetur, & quidem non tantum in Ecclesia, de quo N. II. demum sequitur, sed etiam apud omnes creaturas, uti ex parallelo loco Cap. I. II. & 13. patet, in quo impletionem omnium contradistinguit Apostolus impletioni Ecclesiæ. Quam plurimos simul allegavit alios ex nostratibus Wellerum, Dorschæum, &c. idem volentes, idem defendentes. Quibus nihil adjicio, nisi unicum illud, quod Marci ultimo dicatur, versu ultimo, quod Apostoli, verba divina ad populum facientes & edentes miracula, CHRISTUM habuerint συνεργῶν, concurrentem, quæ verba seu locutio & Ludovicum Crocium, Doctorem Calvinianum Bremensem olim fateri coegerint, quod *omnipræsentiæ ενεργητικῆ, operatrix seu modificata* (quæ quidem recte ab *omnipræsentiâ personali* distinguitur, sed non ab ea divellitur ; *Modificata enim personalem ante se ponit & includit, quod propter Reformatos caute observandum) sit quia infinita Persona CHRISTI DEI & hominis infinitas exercet operationes, quæ non sunt Deitatis, sed Θεοειδικαί, hoc est, non fiunt à nuda Deitate, sed in, cum, per assum-**

tam humanam naturam, conscia mente & conformi voluntate, ut loquitur antiquitas. Sic miracula, quæ CHRISTUS operatus est in diebus carnis suæ, quod item cooperatus est Apostolis prædicantibus Evangelium in universo mundo, quod denique Ecclesiam suam in hodiernum usque diem gubernat & tuetur, sunt opera omnipræsentie ἐνεργητικῆς, quorum principium quod est ipsa persona, principium quo utraqve natura (5).

- (1) Parte V. Conc. XL pag. 1102. (2) Actor. XVII. 18. (3) In Systemate loco de CHRISTO, Sect. IX. ab initio. (4) In Disput. Isagogic. in Chemnit. loc. IV. Art. III. num. XXIX. §. 6. pag. 440. (5) Balib. Mentzer. Anti-Crocian. Diss. X. §. 94. seqq.

§. V.

Circa hanc tamen sententiam accurate observari volunt: (α) Quod jam in antecedenti Thesi III. obiter dedimus, quod humana in CHRISTO natura eo modo, quo divinitas, ut infinita aliqua essentia & ex virtute aut proprietate essentiali suæ naturæ ubique præsens non sit (1); hinc phrasin illam receptam, *Corpus CHRISTI secundum substantiam est ubique*, saltem intelligunt de subjecto, quod præsens, nec de modo, quo præsens (2). (β) Quod istam phraseologiam, *CHRISTUS in omnibus Creaturis substantia sui corporis est præsens*, si à nonnullis usurpatur, non de inclusione totali velint intelligi (3). Alias Scriptura de præsentia generali divina, sic loqui amat, quod *DEUS sit in creatura*, nec facile leges hanc phrasin, *Creatura est in DEO seu CHRISTO* (4); quod autem non parvulum differant hæ phrasæ, cuius in propatulo erit (γ). Quod extensionem seu expansionem in hac præsentia rejiciant omnem (5). Nam optime dictum est à Magno nostro Brochmanno (6): *Qui humanitatis à λέγω assumit & Omnipræsentiam per immensam quandam infiniti corporis molem & magnitudinem, per omnia*
omnium

omnium locorum spatia extensam, à Lutheranis desiniri docent, splendide mendaces sunt & in nostras Ecclesias pudendum in modum injurii. Adest enim & concurrat cum causis secundis illocaliter, impermiscibiliter, indivisibiliter, inextensive, inexpanstive, indiffusive, incircumscriptive.

- (1) In Libr. Symbolic. pag. 786. n. 2. (2) Huterus in Formul. Concord. pag. 936. (3) Idem pag. 938. (4) Feurbornius in Fascic. I. Diss. II. §. 37. (5) In Libr. Symbolic. pag. 786. n. 4. (6) In loco de CHRISTO Θεου Ἰσότης Sect. IX.

§. VI.

Et hanc postremam sententiam cogitanter intrepide semper fovi & quidem partim propter exaltationem humanæ CHRISTI naturæ ad dexteram Patris (dico propter exaltationem ad Dexteram DEI, & non propter esse in Dexterâ DEI; In Dexterâ DEI fuit à primo conceptionis momento & idem est ac esse in persona DEI; sed non à primo conceptionis momento exaltata ad dextram; Ad κλῆσιν quidem à primo conceptionis momento exaltata fuit, sed non ad χοῆσιν (1): in statu exinanitionis usum quidem suæ divinæ Majestatis habuit particularem, emisit enim quando, quotiesq; ipsi placuit seu officii poposcit ratio; in statu exaltationis divina Majestate semper universaliter) eò dicitur (1) implere omnia & sic omnipræsens fuit; Omnipræsencia vero divina non est otiosa, sed semper operosa, non nova etiam operatur. Ergo in & cum causis secundis cooperatur: Partim & eò, quia Multipræsencia ceu posterior præsupponit præsentiam generalem majesticam ceu priorem; specialem namque influxum includere generalem fatentur omnes saniores & quærenti cuidam Reformato. An ex Multipræsencia queat extrui Omnipræsencia? respondit non nemo, optime!

Si Multipræsentia tanquam species includit seu præsupponit Omnipræsentiam tanquam genus, utique hæc ex ea bene potest extrui. Et in hac re habemus plene consentientem Danielen Chamierum inter Reformatos Principem Theologum. Quicquid est totum, inquit, in pluribus simul locis, id est ubique (3). Denique & eò, quia conscientia melius consulitur attribuendo humanæ CHRISTI naturæ talem concursum, quam illi denegare; Nil monstri hæc assertio alit, quod humana quædam natura in hypostasim divinæ naturæ assumpta omnisque divinæ Majestatis particeps facta & ad dextram DEI collocata possit concurrere cum causis secundis; Negatio vero nihil præfidii habet, nisi quod sit res a præscriptione rationis, quæ in Spiritualibus sibi relicta prorsus cæca, aversa.

(1) *Affelmann in Append. Opp. p. 224. & seq.* (2) *Ephes. IV. 10.*
 (3) *In Panstratia Tom. II. Libr. VI. Cap. XI. Thes. I.*

CAPUT V.

De

OBJECTO, CUM QVO CONCURRIT.

SUMMARIUM.

§. 1. *Quod Objectum concursus non unum idemque absolute sit cum objecto conservationis & gubernationis; sed saltem res movens sive agens.* §. 2. *Res explanatur & quid proprie sit actio dicitur.* §. 3. *Quomodo sit supervacanea quæstio: Utrum res aliqua minori concursu indigeant, ut conserventur, quam ut producantur?*

§. I.

AD Objectum cum quo DEUS & CHRISTUS secundum humanam naturam concurrat nos ordo tractationis progredi jubet. Etsi nunc concursus divinus sit actus providentiæ divinæ; tamen non dicendum puto,

puto, quod illius objectum tam longe lateq; fluat, quam actus primi, qui est Conservatio, & ultimi, qui est Gubernatio. Conservationem enim novimus diffusam in omnes & singulas res existentes, sub quo etiam veniant nomine, quibus & gubernationem nemo facile denegare poterit; aut cum concursu divino res non parum aliter se habere videtur. Concursus, (si, quod supra dedimus, in animo fideliter sedeat) plane & semper postulat *actionem*, eoqve ejus proprium objectum saltem esse potest *Ens agens* quod vel *anima sensitiva*, vel *vegetativa* est præditum v. gr. *plantæ & bestię*; (si jus, si fas aliter sit vires vegetandi & corporis movendi sive in plantis, sive in bestiis vel etiam in ipso homine animam cum Aristotele salutare (1): seu, si in plantis etiam *facultas loco motiva* commode affirmari possit (2).) vel *anima rationali* ornatum, ut homo; vel *qui vitam intellectualem vivunt*, ut Angeli.

(1) *Claubergi Theor. Corpor. Vivent. §. XXVI. n. 640. & 641.*

(2) *Sturmi Physic. modern. sanior. Compendium p. m. 685. in Sect. post. de corporibus animatis, Artic. III. Cap. I. n. III.*

§. II.

Sic ad Conservationem, quicquid existit, respectu *existentiæ & essentiæ suæ*, respicit, seu ut loqui in Schola Philosophorum consuevimus, *quæ tale*, seu, *ut sic*, v. gr. capillorum situs, numerus, status (1); herbularum & florum ornatus, colores, &c. *Concursum divinum* vero continent saltem res in actu seu actione positæ, cum vel agant, vel statum mutant. *Actio enim nihil est, nisi mutatio status*, status voce adeo late sumpta ut etiam enti potentia tribuatur (2). Si ergo vel *adoleseat*, vel post morbum *fluat*, vel *canescat* capillus ad istos alterationis actus con-

curfus divinus quidem recte refertur ; sed non ad esse capillorum. Hinc ad unum fere omnes saniores *concursum divinum* ita cum Svarezio exponunt (3) : *Divinus concursus, quatenus est aliquid ad extra, per se & essentialiter est aliquid per modum actionis, vel saltem per modum cuiusdam fieri immediate manantis à DEO ;* quibus Dn. Clafen sequens adjecit interpretamentum (4). *Ille concursus non potest in eo solo consistere, quod datur causæ secundæ ad modum principii ut agere & operari possit ; ergo consistit essentialiter in aliquo, quod sit per modum actualis fieri, &c. quod plurimis postea explicat ;* & B. Qvenstedius, unus ex præcipuis nostræ Ecclesiæ Theologiæ hanc Thesin *angrißw* nectit (5). *DEUS non tantum causis secundis sibi essentialiter subordinatis, dat vim operandi, eamque conservat, sed etiam ordinariè in earum NB. actiones & effectus singulos. quæ tales &c. &c. influit.*

- (1) *Matth. X. 29.* (2) *Clauberg. in Ontosophia §. XIII. n. 228. seqq.*
 (3) *Disp. XXII. Metaphys. Sect. II. n. 16.* (4) *In Libr. I. Theolog. natur. Cap. XLVII. pag. 238.* (5) *In Systemate Cap. XIII. de provid. Sect. II. Quest. III.*

§. III.

Sic supervacaneam & quæ usum habeat nullum censeo *questionem* alias agitatam. *Utrum res aliqua minori concursu indigeant ut conserventur, quam ut producantur (1) ?* Si vocem concursus in sensu suo genuino, quo non conspirat simpliciter cum voce influxus, sumere velimus. Nam concursus proprie non spectat *ad conservationem rei in esse, sed in agere ;* DEUS *concurrendo* rerum essentias conservare non tenetur ; conservare etiam potest & conservat absque concursu ; sic v. gr. in flore decerpto vel alia quâdam materia à radice sua abscissa, conservat colorem sive sit albedo, sive rubor, &c. sed dicere DEUM
 concur-

concurrere cum coloribus, ut sic, extra actiones naturales constitutis, esset voci concursus vim inferre; Hinc Distinctio etiam penes Theologos exorta inter *Concursum divinum conservativum*, qui est ipsa Conservatio & *operativum*, qui est concursus in nativo suo sensu sumtus (2). Sed ut verum hic fatear, qui in hanc quæstionem certatim quicquam dixerunt, *Concursum divinum conservativum* hic unice voluisse videntur (3).

(1) Joh. Adam. Osiander in Theolog. Casual. P. I. & II. p. 629. seqq.

(2) Vide Jägeri Theologiam naturalem de providentia divina,

Punct. VI. (3) Vide citatam Osiandrum loc. citat.

CAPUT VI.

De

FORMA, IN QVA CONSISTIT.

SUMMARIUM.

§. 1. Quinam formam ex professo exposuerunt, peccant alii in defectu, in excessu alii; in defectu Pelagiani & Ludovicus à Dola. §. 2. In defectu peccant & illi in volitione qui ponunt concursum, concursum duplicem fingentes; occasio hujus distinctionis; Thomæ sententia; refutatio hujus sententiæ. §. 3. Additur adhuc sententia in defectu peccans & nominantur qui cum Gabriel in excessu peccant; utriusque erroris origo; refutatio eorum in excessu peccantium. §. 4. Mediam sententiam laudat, exponit, quatuor modi recensentur, quibus DEUS dicitur concurrere, examinantur; concluditur definitio concursus.

§. I.

Qui Theologiam naturalem in ordinem confecerunt, seu omnem Theologiam in volumine quodam, quod Systema vocatur, explicarunt, illi, providentiam

dentiam divinam exposituri, formam concursus copiose absolventur. Si sensum eruditorum, quorum alter ab altero seorsim sentit, pulcre hic callere velimus, observandum erit, quod quidam hic agant *immodice & redundanter*, quidam vero *jejune & infirme*; seu, ut vulgo dicimus, *peccant alii in excessu, in defectu alii*. In defectu, qui cum veteribus Pelagianis *omnem concursum divinum negant, asserentes, calamum posse hominem temperare ad scribendum* (ut Hieronymi verba mea faciam) *& temperatum pumice terere, manumque aptare literis, tacere, loqui sedere, stare, ambulare, currere, comedere, jejunare, flere, ridere & cetera hujuscemodi, sine divino concursu, seu auxilio*. Sed horum sententiam infirmatam & convulsam jamdudum habuimus ab Hieronymo (1). Non procul à Pelagianis abeunt Durandus & Ludovicus à Dola, in hac controversia nobile par fratrum; Concedunt quidem *concursum divinum*, sed solum *remote*, quatenus conservat DEUS virtutem causativam, quam DEUS indidit rebus suis in sui conditione prima; Unde idem est dicere ex mente Durandi & à Dola, *DEUS concurrit cum igne ad producendum alium ignem*, ac dicere, *DEUS conservat virtutem, quam dedit igni, quando ignis producit alium ignem*.

(1) Lib. 1. advers. Pelag. mox ab initio. (2) Jägerius in Theologia naturali pag. 341. aliique innumeri, qui Durandum & à Dola cum cura examinarunt.

§. II.

His merito annumeramus eos, qui volunt *formaliter concursum divinum consistere in volitione seu voluntate DEI*, & fingunt duplicem concursum, *ad intra alium, alium ad extra*. (1) Moverunt hanc controversiam Thomæ interpretes, quos nimis cruciavit hæc quæstio:

ftio :

stio: *An divina providentia essentialiter consistat in actu intellectus aut voluntatis aut in utroq; simul?* (2) Ut apertius videamus, quæ ipsis ansam præbuerunt hanc quæstionem ex Thoma nectendi & duplicem concursum ponendi, placet hic simul ipsius Thomæ verba afferre (3). *Ad providentiam duo pertinent, scilicet ratio ordinis rerum provisarum in finem, & executio hujus ordinis, quæ gubernatio dicitur. Quantum igitur ad primum horum, DEUS immediate omnibus providet, qui in suo intellectu habet rationem omnium etiam minimorum, & quascunque causas aliquibus effectibus præfecit, dedit eis virtutem ad illos effectus producendos. Unde oportet, quod ordinem illorum effectuum in sua ratione præhabuerit. Quantum autem ad secundum, sunt aliqua media divine providentiæ, quia inferiora gubernat per superiora, non propter defectum suæ virtutis, sed propter abundantiam suæ bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet. Sed in incertum adhuc positum esse judico, an unquam Thomæ in mentem venerit, immediato divino concursu reprobato, voluntatem in ipsius locum vocare; Longe enim aliud est actus divinos internos, quorum formam quandam ex rebus naturalibus animo comprehensam fovemus, explicare; aliud actus divinos externos ex istis internis ex quibus fluunt delineare: prius observavit in adductis verbis; posterius vero alibi. De posteriori Franciscus Suarezius, felicissimus alias & utilissimus Thomæ interpres, (4) exponens concursum DEI cum voluntate humana, ipsi, quod consequitur, dat testimonium. Quia, inquit, in hoc eadem est ratio voluntatis nostræ, quæ est omnium creatorum agentium, ad quorum effectus & actiones DEUS immediate concurrat, ut D. Thomas ubique docet: & est evidens ex dictis, quia DEUS non tantum*

G

concur-

concurrit ad voluntatis actus, dando ipsi voluntati virtutem agendi & conservando illa; sed proprie & per se dando esse ipsi operationi voluntatis: sed nihil est aliud immediate agere in aliquid, nisi directe & per se influere in illud: ergo influit DEUS immediate in opera libere voluntatis nostrae. Neque oportet nunc cum Philosophia distingvere immediationem virtutis & suppositi: in DEO enim hac distinctio non est admodum necessaria, ut ex D. Thom. primo sententiarum, & quae 3. de potent. colligere licet. Cum enim omnis operatio voluntatis per se & proxime pendeat à DEO, certum est, virtutem effectricem DEI per se ipsam immediate influere in eandem voluntatis operationem & non tantum per virtutem creatam communicatam voluntati & in ea conservatam: & ideo certum etiam est, immediate immediatione virtutis (ut ajunt) DEUM concurrere ad actus liberos voluntatis nostrae. Rursus, quia virtus in DEO non distinguitur à substantia ejus, necesse est, ut ipsamet substantia divina sit agens immediatum, in omnem actum & actionem voluntatis & cujuscunque creaturae, & hoc sensu dici potest agere immediatione suppositi. Quod in hoc sensu nemo, praeter Durandum, negat: interdum vero aliqui ex Thomistis negant; DEUM influere immediatione suppositi in effectum causa secundae, sed solum in modo loquendi differunt, nam vocant, agere immediatione suppositi, esse suppositum à quo proxime ut à causa particulari manet actio. Non video tamen, quare hac voce in ea significatione utendum sit: satis ergo est, quod sit suppositum à quo & à virtute in eo existente immediate fluat actio. Neque necesse est, ut excludat omne aliud suppositum immediate etiam agens, sicut non excludit aliam virtutem, proxime etiam & immediate influentem. Igitur, seclusa vocis ambiguitate, in eo res sita est, quod tam divina virtus, quam substantia seu suppositum per se ipsum, proxime & immediate influit; & intime est praesens & conjungitur

jungitur

jungitur omni actioni creatæ, etiamsi sit actio libera voluntatis. Sed mittens, an hæc mens Thomæ semper & ubique sederit? (meditanti enim quæ alibi dixerit (5) scrupulus tamen manebit,) redeo ad eorum sententiam, qui concursum divinum *formaliter in voluntate DEI* quærunr. Absurda & à DEO aliena hæc sententia merito videtur, cum, ut paucis, quod res fit, demus, *volitio DEI sit actio ejus Immanens, Concurfus vero seu Operatio actio DEI ad extra;* unde non potest esse volitio divina. Quod adeo dubium non est, ut Scriptura S. iudice hi actus distingvantur (6).

- (1) *Neumannii Disput. de concursu divino sub Walthero §. IV. (2) Joh. Baptist. Conet in Clypeo Theolog. Thomistic. Tom. I. Disp. II. Artic. II. p. 501. (3) In Summa Theolog. Part. I. Quest. XXII. Artic. III. (4) In variis Opusculis Theologicis lib. I. de concursu, motione & auxilio DEI Cap. IV. n. 4. (5) Loc. citat. Part. I. Quest. CV. Artic. V. (6) Ps. CXV. 3. Ps. XXXIII. 9.*

§. III.

Silentio etiam eorum sententiam involvo, qui volunt, quod concursus divinus saltem *rerum creatarum motionem aut excitationem sive impulsum* inferat, hoc enim modo solum terminaretur *ad causam* non æque *ad actionem vel effectum* causæ coagentis; (1) & protraho saltem in alterum extremum declinantes, seu in excessum peccantes. In eorum numero leguntur omnes, qui cum *Gabriele Biel Durandi* sententiæ fortissime reclamant & defendunt, quod causa creata prorsus nihil producat, sed quod DEUS ad creaturarum præsentiam omnia causet (2). Omnia quæ hic dici possent, & ad nauseam usque ab aliis non tantum sexcenties sunt dicta,

sed millies etiam repetitata (3) hic recoquere non est pro palato nostro. Hoc unicum saltem notamus, quod tam illi, qui in defectum, quam hi, qui in excessum abierunt, ductum obfuscatæ & perditæ suæ rationis sint secuti tramite Spiritus S. periculose neglecto, & quod posteriores, qui omnem productionem creaturæ denegant, ægrotum suum animum ad longe deterio-rem partem applicent, quam priores. Hac enim stante Thesi, DEUM unice solum omnia operari, creaturis interim quasi feriantibus, stat & firmo talo nostri B. Scherzeri acutissimum, quod ita providentiæ divinæ objectum essent actiones creaturarum: nec ulla creatura quicquam ageret: nec DEUS creaturam in operando sustentaret, quod est contra Actor. XVII. 28. Omnia vero NB. peccata fierent ab ipso DEO, feriantibus creaturis, quæ vix major excogitari blasphemia posset (4).

(1) Plurimis adduxit & refutavit hanc sententiam B. Stephanus Clotzius in Theolog. natur. p. 898. (2) Jäger in Theol. nat. de providentiæ Artic. II. P. I. p. 341. (3) Suarez Disp. XIII. Metaphys. Sect. I. Conimbricens. lib. II. cap. VII. quest. IX Artic. I. in Physica. Thomas vocat hanc sententiam stultam in Sec. sentent. Distinct. I. Quest. I. Artic. IV. &c. (4) In Systemata loc. VI. §. XI. in Erroribus.

§. IV.

Medium qui hic tenuerunt & firmissime tenent, beati sunt: Hi affirmant & confirmant; Quod DEUS concurrat cum causa creata siue secunda non solum conservando ejus causativam virtutem, sed simul ad ejus Effectum influendo, ita, ut si DEUS non influeret, etiamsi virtutem causativam cause secundæ conservaret, nihil omnino causaret (1). Et sic non supprimunt concursum divinum, quem nobis aperte præmonstravit sacer Codex; nec causis secundis actio-
dero-

derogatur; sed utrumque *simul & actu identificato* regnat, ut sequens Caput nos optime edocebit. Meminisse & commemorare hic debemus de quatuor modis concurrendi, quibus dicitur DEUS concurrere & quorum supra jam ex Rudrauffio mentionem fecimus, Cap. III. §. 5. Primus erat, quæ DEUS causis secundis concedit agendi facultatem, alter, quæ secundam movet & applicat ad agendum ut artifex instrumentum; Tertius, quæ eam determinat ad individuationem effectus (2). Sed si hic iudicium animi citra damnum affectus proferre sit licitum, primum modum vix nominarem concursum; est saltem conservatio, quæ actus providentiæ divinæ primus à concursu ut altero omnino distinctus; & nemo ex me alteri modo hunc titulum concursus facile impetraret, siquidem instrumentum, quod artifex admovet operi proprie non est in prædicamento actionis, sed passionis; dum à causa principali movetur, per se, nisi movetur, nihil agere potest nec agit. Cum quo vero DEUS in actione concurrat, illud etiam, ut agat, necesse erit, alias non datur concursus; sic & tertio modo non potest dari nomen concursus, cum saltem contineat gubernationem, & gubernatio non necessario requirat concursum immediatum, nec concursus immediatus necessario gubernationem & determinationem; Formale igitur concursus divini non possumus non vocare positivam & actualem confluentiam, quæ DEUS in actiones & effectus causæ secundæ, quæ tales, immediate & totaliter simul cum illis influit juxta exigentiam uniuscujusque.

(1) Jägerus loc. cit. p. 342. (2) Rudrauffius in Philosoph. Theol. de providentia divina Exhibu. XLIX §. 26.

CAPUT VII.

De

MODO, QVO DEUS PROPRIE CONCURRIT.

SUMMARIUM.

- §. 1. Realiter agit in creaturas ; actus exponitur. §. 2. Virtute & supposito, quod hac distinctio sit minus necessaria & valde obscura. §. 3. Immediate & mediate quomodo termini intelligendi ? §. 4. Concursum identico seu identifico explicatur terminus per quatuor membra. §. 5. Concurrat DEUS concomitanter non antecedenter, nec consequenter. §. 6. Concurrat juxta exigentiam unius cujusque rei create. §. 7. Non determinans. §. 8. Ad causas secundas quæ tales.
- §. I.

AD modum ipsum, quo DEUS concurrat cum causis secundis ut tandem propius accedamus, distincte & distribute illum exponemus. Concurrat ergo DEUS.

I. Ut realiter agat in creaturas ; itaque non influit tantum ut in conservatione ; sed influendo simul agit. Hujus autem actus vera notitia ut nobis sit, statim erit notandum, quod, etsi non sit ipsa volitio DEI, ut supra fuit (1) ; tamen sit actus immanens volitionis divinæ, sic tamen ut ordinatus, sit actu ad actionem creaturæ (2). Unde etiam concursum divinum vere resolvimus in essentiam divinam, ut sit unum idemque cum essentia divina, quia est aliquid in DEO & quicquid in DEO est, DEUS est ipse ; pariterque affirmamus quod idem concursus sit opus DEI ad extra. Prius est, quia est actus immanens volitionis divinæ ; Posterius, quia ordinatus est actu ad actionem creaturæ ; Priori modo consideratus est
princi-

principium concursus, posteriori modo est *actualis concursus*.
 Hæc locutio, quod quicquam possit esse *ipsa divina essentia* & tamen ut opus ad extra simul considerari, si forsan molesta esset auribus offensionis pronioribus, considerentur quæso! ipsa attributa DEI *ἐνεργητικά*: Nonne illa sunt ipsa essentia divina? sed ad actionem circa creaturam ordinata fiunt opera ad extra; cum sic non faciant quicquam *ad esse divinæ essentia*, sed *creaturarum*, sic etiam res se habet cum concursu divino etsi proprie non sit attributum DEI *essentiale*, sed *saltem attributorum effectus*, ut supra jam monuimus.

(1) *Cap. V. §. 2.* (2) *Clotzius in Theolog. natural. Disput. XVI §. 38. in fine.*

§. II.

II. Concurrit DEUS *realiter agendo non tantum virtute*, sed etiam *supposito*. Facile hic admitto sententiam Svarezii, quod in DEO hæc distinctio non sit *pernecessaria*, eoq; res facilior & solutior per eam fieri non adeo possit, sed potius *difficilior & operosior* (1). Per opus non est; cum enim omnis causarum secundarum operatio per se & proxime pendeat à DEO, certum est, & quasi manu prendere possumus virtutem DEI effectricem per se ipsam immediate influere in eandem creaturarum, seu causarum secundarum operationem, & non tantum per virtutem creatam communicatam voluntati & in ea conservatam (& hoc est, seu dicitur virtute concurrere, seu plenius *immediatione virtutis*). Rursum, cum in DEO inter *virtutem & substantiam* distinctio detur nulla, cogimur credere ipsam substantiam divinam esse agens immediatum in omnem actum & actionem cujuscunque creaturæ (& hoc sensu dicitur
 DEUS

DEUS concurrere supposito, seu immediatione suppositi). Et quod hæc distinctio etiam sit abstrusa, flexiloqua, nebulosa, nemo, qui rem intelligit omnem, inficias ire poterit. Nam in rebus creatis illa dicuntur agere *immediatione virtutis*, quæ per virtutem à se diffusam contingunt passum vel effectum, non tamen per suppositum suum; id vero de DEO affirmare, esset pravum, ineptum, absurdum atque alienum ab essentia divina; si Locutionem *immediatione suppositi concurrere*, respiciamus, res iterum tenebrarum & periculi plena videtur. Suppositum enim immediatum possit dici vel *in agendo*, vel *in existendo* seu *in distantia locali*. Ut, verbi gratia, si vera esset opinio Scoti, solem generare *immediate aurum in terra*, per suam formam substantialem ageret quidem *immediatione suppositi*, seu *immediatione actionis*, ut sic dicam, quia ab illo supposito *immediate prodiret actio*; non tamen ageret *immediatione suppositi in agendo*, seu *in loco*, quia longe distaret à suo effectu. DEUS ergo necessario agit, ubicumque agit, *immediatione suppositi locali* seu *inesse*, tum quia per immensitatem suam necessario est ubique præsens, tum etiam quia actio procedit per se & *immediate non tantum à virtute creata*, quæ dici potest quasi virtus, diffusa à DEO: sed etiam à virtute increata, quæ est in ipsomet DEO: agens, aut quod sic operatur, per virtutem suam necessario ibi est præsens, ubi operatur. Unde hac ratione dicitur DEUS esse in omnibus per essentiam & per potentiam & ideo etiam ex actione DEI optime colligitur *suppositalis præsentia*; Sunt Svarezii verba (1). Etsi ita res, remota hac distinctio, feliciter & plenius proponi potuisset; receptam tamen à Theologis & usitatam, eam nemo sine temeritate quædam jam accusare & rejicere poterit; Sensus ergo est, quod concursus divinus non

non

non tantum inferat *immediationem virtutis*, ut sol cunctaque sydera in hæc inferiora agunt, sed etiam *immediationem suppositi*, quæ substantia sua causam atque causatum attingat.

(1) *Svarezii Metaphysic. P. I. Disp. XXII. §. XIII. & XIX p. 505. & 506. item in variis Opusculis Theol. lib. I. de concursu DEI cum voluntate cap. IV. §. 4.*

§. III.

Immediationem dixi & quidem tam virtutis, quam suppositi; concurrit ergo III. DEUS realiter agendo non tantum virtute & supposito, sed & mediate & immediate. Quod DEUS agere possit mediate & immediate consentiunt omnes; Quod etiam agat mediate in omnes creaturas, largiendo illis non tantum virtutem ad efficiendum sufficientem, verum etiam eam conservando, nemo abnuit; Quod vero immediate tam ratione virtutis, quam suppositi agat, hoc est quod in examen vocare scrupulosum consueverunt eruditi. Qui concedit virtute & supposito DEUM agere cum causis secundis, non statim consentit, quod id fiat immediate; cum & virtute & supposito tam mediate, quam immediate agere possim. Sic mediate respectu virtutis, causa agit cum per virtutem non propriam, sed aliunde sibi communicatam agit; v. gr. fœmineum & molle sydus, lunam puto, in tenebris nocturnis terræ clarissimum præfert lumen, sed non proprio, alieno, scilicet solis, lumine, dum accessu & recessu suo omne lumen solis accipiat; illius enim proximus accessus ad solem facit tenuissimum lumen; degressus autem quisque longissimus, plenissimum; mediate, respectu suppositi agit causa, cum inter causam & effectum intercedit aliud suppositum, v. gr. Ignis calefacit aquam

H

MEDI-

MEDIATE quia inter Ignem & Aquam aliud cadit suppositum, olla nempe; Nunc vero affirmamus DEUM non tantum *virtute & supposito* concurrere, sed etiam ita *immediate*; Quod, *respectu virtutis immediate agat*, clara res est atque notissima, quia virtus, per quam DEUS agit, est DEO propria & perpetua; & quis huic simplicissimæ & absolutissimæ essentiæ, omnium rerum unico & solitario principio, quicquam poterat conferre? Omnis creaturarum virtus est à DEO in prima creatione data; ita tamen ut data virtus sit & maneat quoque creaturis virtus, *quatenus ipsis à DEO est communicata*: Ex quo sponte consequitur respectu DEI nullam creaturam posse immediate, immediatione virtutis agere. Quod etiam, *respectu suppositi immediate concurrat & tam in agendo, quam in existendo seu in indistantia locali*, patet quoad *prius, in agendo* scilicet, necessario ex divina immanitate; quoad *posterius, in existendo* ex eo, quia illa actio procedit immediate à virtute increata inexistente ipsi DEO; sed de hac materia plurimis differere consueverunt Pnevmaticæ Scriptores (1). Ex dictis tamen non obscurum opinor, neque absconditum esse hic non agi de ea immediatione, (ut semel jam monuimus) quæ sine concursu alius causæ efficientis immediate produxit in principio cælum & terram, aut immediate ex luto fecit hominem, ut non concurrerit alia causa efficiens; sed ea, quæ concursum causæ secundæ efficientis simul ponit (2), de quo in sequenti Paragrapho plura sequuntur.

(1) Vide Daniel Clasens Theolog. natural. P. 1. Cap. XLIX. item Georg. Meyeri Diss. XV. Colleg. Pnevmat. §. 3. (2) Johannes Faustinus de divina motionè Tb. II.

§. IV.

Concurrit enim IV. concursu identico seu identifico. DEUS tamen in concursu suo non utitur *causis secundis* ut *causis instrumentalibus*, quæ influunt in effectum virtute ignobiliori, quam ad ipsum producendum requiritur, tantum agens ut causa principalis; multo minus ut instrumentis; quod vocabulum latius adhuc patet, quam causa instrumentalis, cum omnis causa instrumentalis sit quidem instrumentum, sed non vice versa, ut Metaphysici ubique & abundanter docent. Hanc sententiam fovent sectatores Gabrielis Biel, qui, causis secundis nil nisi otiosa præsentia relicta, ajunt DEUM solum agere ac producere effectus; sed causæ secundæ integram semper retinent vim operandi in primæva creatione sibi implantatam, cum per concursum DEI non tollatur constitutio naturalis; non retinent tantum, sed in actu & operatione, constitutæ plene eam exercent. Eundem autem numero actum, quem causæ secundæ nativa sua vi producunt, producit & simul DEUS concursu suo divino. v. gr. Homo à muliere conceptus & à matre in lucem dicitur editus, & ille ipse homo à DEO est factus & in lucem protractus. Hæc ut explicatius & distinctius percipi possint, notandum est (a) quod hic uterque tam DEUS, quam homo in generatione hominis sit *causa totalis*, nullus *partialis* seu *socia*, etsi alter sit *ut universalis*, alter *ut partialis*. Inquam *uterque est causa totalis*, quod itaque non actio in partes sit dissectanda quarum altera DEO, altera causis secundis esset tribuenda; sed tota actio *cum omnibus entitatis gradibus* utrique simul est danda. Vocant & alii *causam adequatam*, quod bene se habet, si ad productionem

ctionem actionis *ut sic* respiciamus; non vero, si terminum istum, ut possit, ad motum flectere velimus, hic non adæquate, sed inadæquate agunt DEUS & causæ secundæ, aptius dicemus causam completam. Dixi *nullus partialis, seu socia causa*. Causæ enim sociæ, quæ & partiales appellantur, concurrunt quidem ad unum effectum, non autem ita, ut totus effectus ab utraq; causa dependeat, sed in effectu sint diversæ partes, quarum una huic, altera alteri causæ debetur, nemini adscribitur totus effectus tantum. Addidi tamen *alter ut universalis; alter ut particularis*; Causa enim universalis & particularis ita concurrunt ad eundem numero effectum, ut effectus totus à causa particulari, & etiam totus à causa universali dependeat, ut Physici & Metaphysici innumeris illustrent exemplis. An vero in eorum numerum sit referenda *eadem numero scriptio* pendens à manu & calamo, quæ non una pars à manu, alia à calamo, sed tota à manu & tota à calamo, aliorum iudicio linquo, *quia hic non est concursus causæ generalis cum particulari, sed particularis cum instrumentali*. Usus est quidem B. noster Qvenstedius hoc exemplo (1), sed non ut exemplo, quod Thesin vel Regulam imple-ret; sed saltem ut simili, quo rem aliquo modo illustraret. (2) Est notandum quod circa concursum hunc identicum seu identificum hæc quæstio acutissime & acerrime agitetur. Utrum DEUS concurrat ad totam actionem creaturæ ita, ut NB. *non tantum esse genericum, verum etiam esse specificum & individuale* una cum creatura efficiat seu producat? In quavis enim actione hæc tria observantur, primum *esse genericum* seu prout est actio simpliciter non determinata ad certam speciem;

ciem;

ciem ; Deinde *esse specificum* seu quatenus est actio talis speciei, v. gr. calefactio seu generatio hominis ; Tandem, *esse individuale*, prout est hæc numero actio, quæ fit *ab hac causa efficiente, hoc tempore, in hoc subjecto*, & quæ sunt aliæ conditiones individuales : *Hæc tria* alias paucis sic exprimuntur ; Utrum DEUS concurrat ad totam actionem creaturæ secundum NB. *omnem gradum entitatis* (2). De *esse generico* nulla lis est ; In *esse specifico* & *individuali* tota cardo rei hic vertitur. Insignis alias Philosophus ac Theologus juxta Rudrauffius valde hic distrahitur cum hoc illi probabilius tum illud videtur (3) ; Jam negat quæstionem, affirmans, quod quoad speciem actionis seu *esse specifico* secunda causa ut particularis determinet causam primam in universalem ; statim vero addit ; *Mallemus ab illa abstinere locutione causa prima determinatur à secunda ; dicique actionem specificari à causa secunda, vel à causa secunda edi actionem talis speciei, quia cooperatur cum prima.* Et æque incertum etiam linquit suum lectorem circa *esse individuale* (4). Alii vero considerantes, *esse generico*, *specifico* & *individuale* non distingvi re ipsa, sed sola ratione, affirmantem sententiam amplectuntur, ita tamen ut voces, *Determinatio* ac *Denominatio actionis*, admittere nolint, quia causa prima *universaliter* & *indeterminate saltem* concurrat (5). Hinc non adeo incongrue & inepte explicant *esse generico* alii ita ; *Quod non dicatur esse generico eam ob causam, quod DEUS concursu suo generico saltem actionis gradum attingat, sed ideo, quod ipse, quantum in se est, non limitet seu restringat concursum suum ad certam tantum speciem actionis, sed ipse paratus sit ad utramque speciem actus, vel quam causa secunda tum exigit, offerre* (6).

H 3

Et

Et quod non unum idemque sit : *DEUS* concurrat ad totam actionem creaturae non tantum quoad esse genericum, verum etiam quoad esse specificum & individuale, & *DEUS* determinat totam actionem non tantum quoad esse genericum, sed etiam specificum & individuale, quivis mecum facile consentiet; Prius ergo concedo, quod *DEUS* non tantum concurrat ad esse genericum, v. gr. ad actum generandi vel operandi in genere, quod causae secundae possint generare & operari; sed etiam ad actum specificum, quod homo generet & generare possit sui simile hominem, bos bovem; quid? quod concurrat ad esse individuale, quod tunc possit mulier gravida fieri ex viro nec prius; quod puero nec foemella sit gravida; quod hic partus sit oculis turgidis, alter habeat hilaritatem in oculis, &c. ita tamen ut determinatio & denominatio actionis ad certam speciem & ad hoc vel istud individuale, saltem à re creata seu secunda causa proveniat & non à causa prima. Id si non esset non recte diceretur *DEUS* concurrere ad totam actionem creaturarum, sed saltem ad partem. Ipsa etiam Scriptura apertis testimoniis tribuit *DEO* in operationibus creaturarum tam esse specificum, quam esse individuale; esse specificum, cum ex ejus gratuito beneficio proveniat, si tam Sarah, quam Hagar Abrahamo peperit filium; hinc sancti etiam retulerunt & referunt unicè in *DEUM* non tantum, quod videant liberos, sed etiam, quod foveant prolem vel masculum, vel foemineum: esse individuale, cum *DEUS* aures plantare dicatur & oculus ab eo fingi (7); Ipse *DEUS* ait ad Moysen: *Quis posuit os homini, aut quis posuit mutum aut surdum, aut videntem, aut caecum? nonne ego Jehova* (8). Et quis verba Jobi, quæ fundit in calamita-

mita-

mitatibus ad DEUM: *memento, quæso! quod sicut lutum feceris me & in pulverem me redacturus sis; nonne sicut lac fudisti me? & sicut caseum in formam infudisti me? cute & carne induisti me, & ossibus atque nervis compegisti me, vitam & benignitatem fecisti mecum, & visitatio Tua custodivit spiritum meum* (9), aliter poterit applicare, quam ad esse individuale. (γ) Quod hic notatu dignum, est ordinis *causandi diversitas*: Una numero actione & sic concursu identico seu identico agunt quidem DEUS ut causa prima & universalis, & creatura ut secunda & particularis, sed eorum actio formaliter etiam manet distincta. Actio DEI est independens, infinita; actio creaturæ dependens, cum fit à DEO illi saltim data, & finita cum fit creata; Actio DEI non determinat, determinat vero actio creaturæ. Ex actione ejusque effectu DEUS neque fructum, neque damnum capit, creaturæ expedit, quod est bonum & nocet malum, plures causandi diversitates ut præteream cum tempori parendum sit. (δ) Hic videndæ sunt nonnullæ, materiæ nostræ lumen afferentes, distinctiones; Alius est *concurfus active*, alius *passive* consideratus. *Active* ex parte nempe ipsarum causarum concurrentium, *concurfus* DEI non est idem cum *concurfu* creaturæ, sed numero distinctus, quia sunt duæ causæ concurrentes; *Passive* vero, pro ipsa actione quæ fit, est unus tantum numero *concurfus*, una actio (10). Iterum *alius est concurfus DEI, si rem respiciamus & alius, si Denominationem*; respectu rei est unus *concurfus*, sicut una actio; secundum denominationem sunt duo *concurfus*, quia duæ causæ concurrentes (11). His si addere placet distinctionem inter *agentia-non subordinata*, sponte sua ruet ista difficultas.

tas.

tas. *Utrum utraqve causa totalis & completa appellari possit, nec repugnet causæ totali alterius totalis consortium in unius ejusdemq; effectus productione? siquidem ab agentibus duobus seu pluribus non-subordinatis una numero actio non potest provenire; à subordinatis bene. Ex his omnibus ergo manifesto tenetur quid sit, DEUS concurrat concursu identico seu identifico.*

- (1) *Qvensted. in System. de Provid. Sect. II. Quest. III. in ἐκθέσει Observ. XIII.* (2) *Joh. Faustius de divina motione Thes. II. p. 16.* (3) *In Philosoph. Theolog. Exhibiti. XVIII. §. 35.* (4) *Eod loco §. 39.* (5) *Inter alias vide Stracemanni Theatrum Metaphys. p. 314. seqq.* (6) *Daniel Classens in Theolog. natur. P. I. Cap. LI. p. 265.* (7) *Ps. XCIV. 8. 9.* (8) *Exod. IV. 11.* (9) *Job. X. 9. seqq.* (10) *Becanus Theol. Scholast. P. I. Tom II. Tract. IV. Cap. VI. n. 9.* (11) *Idem cu. loc.*

§. V.

Concurrat itaque V. *concomitanter non antecedenter nec consequenter; Non antecedenter sive natura, sive tempore, quia alias DEUS vel introduceret agendi virtutem, vel virtutem agendi, quam per creationem collatam habet creatura, excitaret. Neutrum vero esse potest; non prius; sic creatura naturali virtute esset destituta; non posterius; alias virtutem haberet & non haberet agendi, cum non sine alterius excitatione agere posset? Verum quidem est, si concursum divinum internum, qui fit per velle internum causæ primæ, contemplari velimus, quod tunc causæ secundæ excitentur à causa prima per hunc concursum internum, qui se habet per modum principii; sed si agatur de concursu DEI externo, ut actu transeunte, non excitat iste causam secundam; sed in nativa sua virtute illam conservans concurrat cum ea in actionibus*

nibus

nibus (1); & de posteriori nobis sermo est: *Non consequenter*; Quia sic creatura ex se esset sufficiens principium eliciendi actionem & ejus terminum, & frustra poneretur DEI concursus divinus *comitans actionem creature* dum simul, sive natura, sive tempore, cum ea concurrat (2). Id ut accuratius proponatur sequentes Theologorum distinctiones haud erunt contemnendæ. Considerant enim cum Svarezio (3) *Prioritatem naturæ*, aliter *ratione causalitatis*, & aliter *ratione dignitatis & universalitatis*; *ratione Causalitatis causa prima & ejus actio externa* non est natura prior, quam actio causæ secundæ, quia, cum sint una eademque actio, non potest inter eas intercedere vera causalitas, *ratione vero dignitatis & universalitatis* seu independentiæ aut alterius similis proprietatis dici etiam posset causa prima prior secundis; Porro separant etiam cum Becano (4) *primitatem concursus à primitate dependentiæ in agendo*; priori respectu prima causa non dicitur prima, quod scilicet prius concurrat quam causa secunda, sed respectu posteriori prima dicitur prima, quod nimirum non dependeat ab alia, sed ab ea omnes causæ secundæ & causa secunda dicitur secunda non quod posterius concurrat vel agat, sed quod à causa prima dependeat. Stante vero hoc exspirat & evanescit quicquid delirarunt nonnulli de *influxu quodam prævio*. Disputant enim inter se eruditi, *utrum concursus divinus secum habeat influxum immediatum in ipsam causam secundam*; seu *an solum sit influxus immediatus cum causa secunda in ejus effectum*; sensum quæstionis sic effert Alvarez (5). Sensus quæstionis est: *Utrum quando causa secunda habet ratione propriæ formæ virtutem permanentem & perportionalem cum aliquo effectum, sit etiam necessaria prævia*

I

DEI

DEI motio recepta in ipsa causa, ut de facto suam producat operationem: an vero sufficiat concursus simultaneus, pariter influens cum ipsis causis secundis in earum effectus; sensu rite ita exposito in cumulum fere contulit unum utriusque partis tam negantis, quam affirmantis argumenta. Jägerus noster rem sic exponit (6): Circa hoc punctum duplex est sententia. Prima Thomistarum & Calvinianorum, qui putant, quod antequam causa secunda prorumpat in actualem effectus causationem, necessum sit, ut predefiniatur à prima, sive per aliquam qualitatem in causa secunda receptam, sive per motum aliquem transeuntem. Non enim satis isti Autores ipse conveniunt. Secunda sententia dicit, talem predefinitionem nullatenus admittendam esse atque rationem cause primæ sufficienter salvari per concursum simultaneum. Cui sententiæ & nos supra subscripsimus, eamque ulterius probamus. Ex his, qui nondum satis percipit, quid proprie fit concursus prævius, hunc mittimus ad Svaregium (7), & ad ea, quæ jam supra in Distinctionibus diximus (8), ex quibus simul patebit, quomodo quædam prævia actio concedatur nec ne?

- (1) Svaregii Dissp. Metaphysic. XXII. Sect. II. n. 30. (2) Clotzius Theol. natural. Dissp. XVI. §. 39. (3) Allegato loco Sect. III. n. 9. & 10. (4) Theol. Scholast. Part. I. Tom. II. Tract. II. Cap. VI n. 19. (5) In Libr. III. de auxil. divine gratie Dissp. XVIII. (6) Theolog. natural. de Provident. Divina Punct. II. (7) In Opusculis Theologicis pag. 12.

§. VI.

Concurrit vero VI. DEUS cum causis secundis juxta exigentiam unius cujusque rei create. Hanc rem tam plane & plene proposuit Dn. Clasfen ut addere illis quicquam vix ullus poterit. Apertis verbis statim ab
initio

initio ostendit, quod causæ secundæ considerari possint, vel ut sunt *agentia naturalia*, vel ut sunt *agentia libera*. Definitiones deinde affert. *Naturalia sunt, quæ positis omnibus ad agendum requisitis non possunt non agere, id est necessario, actionemque suam non nisi miraculose suspendere possunt; Quale agens ignis est: posito enim intra spheram activitatis objecto combustibili ignis non potest non urere neque urendi actum non nisi divinitus omittere. Libera agentia sunt, quæ positis omnibus ad agendum requisitis agere & non agere, sed pro suo arbitrio actionem intermittere possunt. Sic positis cunctis ad legendum requisitis, nihilominus in potestate hominis est, an velit legere, vel legendi actum differre. Quomodo vero DEUS diversimode hic concurrat exprimit verbis Francisci Toleti. Quemadmodum artifex non eodem instrumento omnia facit, sed pro diversitate effectuum accommodatis utitur instrumentis; ita DEUS non idem omnibus causis facit, sed diversis diversa, & concurrat cum ipsis juxta ipsarum naturam, cum liberis libere, cum necessariis necessariè, cum debilibus debiliter, cum fortibus fortiter, pro sua suavissima dispositione universalè operando. Tandem addit, quod hic concursus respectu DEI non sit effectus necessarius, sed liber. Notandum, inquit, est, DEUM ex libera sua voluntate creaturis suum præbere concursum, quandoquidem DEUS, ubi voluerit, causis secundis concursum suum subtrahere & denegare potest, quam ob causam quoque respectu DEI nullus effectus est necessarius, sed liber. Neque id repugnat Toletio dicenti, DEUM cum agentibus necessariis necessario concurrere. Nam observandum est, quod DEUS se accommodet rerum naturis, illisque præbeat concursum ipsis accommodatum, unde dicatur agere per modum causæ infallibili lege cum illis concurrente, quæ lex, si absolute, citra suppositionem particularis & definitæ voluntatis divine sumatur, nullam*

12

inducit

inducit necessitatem, sed, ut Suarezius Disp. 22. Metaphys. Sect. 17. num. 3. ait solum est quasi debitum connaturalitatis. Supposita igitur efficaci DEI voluntate, concurrendi cum hac causa ad eandem actionem sub hoc & nunc, jam ex necessitate prodit actio tali tempore & loco, tam à causa secunda, quam à prima; sed respectu secunda est necessitas naturalis, respectu autem primæ est necessitas ex suppositione seu immutabilitatis. Decrevit quoque DEUS ab eterno ejusmodi res producere, isto ordine & modo, & cum earum actionibus concurrere juxta capacitatem earum & indigentiam, unde causa prima & secunda in operando non conveniunt casu, sed ex instituto, idque propter primæ cause providentiam. Et sufficit hic voluntas DEI ad concurrendum, quod nempe libere velit cum necessariis agentibus juxta capacitatem illorum cooperari. Paucis; DEUS etsi sit agens liberrimum, ideoque non possit esse naturale, tamen dicitur agere per modum causæ naturalis aptando & æqvando se agentibus illis naturalibus, itemque per modum causæ liberæ dando se ad modum illarum liberum; cum infirmis quasi infirmus, cum ægrotis quasi ægrotus, cum rocostis ut robustus, & sic porro juxta exigentiam uniuscujusque rei creatæ.

(1) *Classens Theolog. natural. Lib. 1. Cap. LI.*

§. VII.

Etsi itaque concurrat juxta exigentiam uniuscujusque rei creatæ, tamen VII. non determinat causam secundam in sua actione, vel quoad speciem actus, vel quoad exercitium, an etiam non quoad individuationem, de eo lis adhuc sub judice est. Rem ut recte capiamus, notandum hic est (a) quod detur triplex determinatio; alia quoad speciem actus; alia quoad exercitium; alia quoad individuationem; Eleganter definivit seu delineavit potius duas priores
Dn. Jäge-

Dn. Jägerus (1) *Determinare influxum quoad speciem est efficere ut influxus tendat ad effectum talis speciei & non alterius, v. gr. ut producat ignis, non aqua. Determinare quoad exercitium est efficere, ut effectus potius nunc quam ante, vel post producat. Determinare vero quoad individuale est efficere, ut effectus in hoc vel illo individuo, hoc vel isto modo producat.* (2) Quod quoad speciem & quoad exercitium actus DEUS concurrente non determinet causam secundam. In quaestione hic nonnullis est *cum DEUS ut causa prima non determinet causam secundam. An igitur causa secunda determinet causam primam ad speciem & ad exercitium actus?* Subscriptores approbatoresque fere habemus hic omnes, qui habent salem; Discrimen tamen ponunt inter *determinationem*, quæ fit *effective* & quæ fit *objective*; *Effective* fit cum causa quædam reali quodam modo efficitur & in hunc vel illum statum ab alia quâdam causa determinante ponitur, v. gr. si aurum seu argentum signaretur, tunc aurum & argentum à monetario *effective* determinaretur ad hunc vel istum usum; *Objective* fit determinatio, cum causæ cuidam hoc vel istud offeratur, vel proponatur, quo viso, statim se libere applicat ad id, ad quod se applicare, vel à natura fertur, vel libere decrevit, v. gr. si ignis sarmentis, vel aliis utilibus admotis, flamma sua ea apprehendit; vel si proterve iracundus in hostem ex improvise illi obviam venientem, crudeliter erumpit; non priori modo, *effective*, causam primam à secunda determinari volunt, sed posteriori, *objective* (2). (3) Etsi propter suppositionem perversi sensus adversariorum præstaret abstinere ab ista locutione, *causa secunda determinat primam tam*

quoad speciem, quam quoad exercitium actus: tamen non adeo absurde & absone hæc retinetur & usurpatur. Causa enim secunda determinat primam quoad speciem actus *partim*, quia causa prima est universalis & indifferens ad omnes species; secunda vero particularis & ad unum certum scopum à Creatore suo determinata, eoque etiam obtinet actio specificationem à causa determinata particulari; *partim* propterea quia ab illa causa saltem actionis determinatio esse possit, quæ ita agit, ut possit deficere, eoque ipsi operis defectus adscribi; sed illa est causa secunda, cui saltem defectus naturales & morales imputantur (3). Sic quoque causa secunda determinat primam, quoad exercitium actus, id est, ut cum Rudrauffii verbis loquar, *dum causa secunda ad agendum invitata & parata exigit concursum DEI, sistendo causæ primæ objectum & occasionem agendi, invenit causam primam ordinariæ promptam, ita ut ex aeterno decreto & providentiæ ratione, nunquam concursum deneget. Quod tamen non est, DEUM ad dandum concursum simpliciter adigere & determinare, ad quem ipsemet sese liberrime determinat, sed ex hypothesis, quatenus semel istum concursum decrevit & quæsi promisit, quotiescunque occasio præbeatur, nunc occasione oblata & suppeditata concurrat. Quod vocant occasionaliter & objective determinare* (4). Legi etiam hic meretur optimus Jägerus (5), (d) quod determinationem ultimam ad individuationem in controversiam adhuc vocent rigidius, an etiam circa eam *causa secunda determinet causam primam?* seu, an hic prima secundam? Qui in Gabrielis Vasquez, celeberrimi alias Thomæ interpretis, sententiam descendunt, censent causam secundam, si naturalis sit, ex se determinatam esse ad unum numero effe-

effe-

effectum producendum; si libera, semetipsam determinare ad individuationem effectus (6). Allegat supra laudatus Jägerus & Abrah. de Raconis sententiam statuentis, *causam secundam hic determinari à circumstantiis & conditionibus individuantiis objecti & dispositionibus* (7). Ille vero ipse cum aliis nostratibus Theologis prolixè defendit, quod *in determinatione ad individuationem causa prima determinet secundam* (8): sed B. noster Schertzerus in aureo suo Systemate videtur discedere ab hac sententia (9) volens DEI influxum in individuatione *in se & subjective quidem esse determinatum, sed non objective determinantem*; sic enim fluunt ipsius verba; *Quare nobis videtur commodius & accuratius dici: DEI influxum (quoad presens) esse quidem determinatum in se, sive subjective, sed non determinantem objective. Nam DEUS concurrit quidem ad motum manus furtivæ, sed illum motum solus fur ad rem furtivam applicat. Sicut ensi faber solum gladium fabricat, latro autem eodem ad homicidium sine culpa ense fabri abutitur. Et hoc ipsum distinctione præmissa inter materiale proximum & remotum innuimus. Materiale remotum, (salvis aliorum explicationibus, quæ mihi non satisfaciunt) dico in furto extensionem manus, uti indeterminatam ad rem furtivam: Proximum vero eandem extensionem, ut ad rem furtivam determinatam. Jam sicut in Physicis non dicitur causa generationis, quæ materiam remotam (i. e. ad ultimam formam immediate nondum determinatam,) sed quæ proximam (seu quæ jam ad ultimam formam determinatam est) producit: Ita DEUS non dicitur causa furti, quia ad solum materiale remotum (sive actionem vel extensionem manus intentione divina ad furtum non determinatam) non vero ad proximum concurrit. Et tutum probe esse judico vestigia B. Schertzeri legere multas*

multas

multas ob causas quas hic recensere animus jam non est. Nihil periculi, absque nihi continet, si dicam, *concurrit DEUS cum omnibus causis secundis tam quoad esse genericum & specificum, quam individuale; ita ut eas non determinet vel quoad speciem, vel quoad exercitium actus, vel quoad individuationem; nam quæ alias pro ea sententia afferuntur argumenta: Quod causa prima quoad individuationem determinet secundam, non adeo stant firmo talo ut non facili impetu disjici possit.*

(1) *In Theolog. natur. de Providentia Divina Art. II. Punct. III.*

(2) *Idem eodem loco.* (3) *Rudrauff in Philosoph. Theologic. Exhib. XVIII. §. 35.*

(4) *Idem eodem loco §. 38.* (5) *Loco citato.*

(6) *Tom. I. in Tert. Partem Sancti Thomæ Diss. LXXIV.*

Cap. IV. (7) *Loco citato citavit & eum Rudrauffius l.c.* (8) *Loco citato.*

(9) *Loco VI. in fine Thesis XII.*

§. VIII.

Concurrit tandem VIII. ad causas secundas saltem *quæ tales* Ergo nec destruit earum naturas neque particeps fit earum *ἀταξίας* seu malitiæ: Quam ridicule Arriaga hanc locutionem *quæ tales* appellaverit *soliis intellectus præcisionem*; & quam apposite fit hæc locutio, cum felicius & plenius DEUM absolvit ab omni peccato quam Adriani Heerbordi distinctio inter *actionum malitiam & inter actiones malas* (ad posterius concurrit DEUS non ad prius) & Pontificiorum *inter positivum actionum causa secunda* (ad positivum DEUS concurrit & non ad privativum, quod peccatum est) B. D. Neumannus in supra citata Dissertatione (1) abundanter docuit ad quam ablegamus lectorem. *DEUS ubique & ita in medio concursus manet semper ab omni peccato immunis.* Explicare hoc non nemo vult simili à passione CHRISTI desumpto

desumpto (2). Quemadmodum DEUS, quando dicitur carne passus, quoad Deitatem suam manet impassibilis; sic etiam cum in actione peccaminosa DEUS concurrat cum homine manet semper sanctissimus: sed non lubens facerem hoc simile meum, cum alias aliquo modo peccatum sanctissimo DEO esset attribuendum, ut DEO verè passio, cum CHRISTUS sit passus; Qvis etiam diceret concursum divinum inferre in creaturis talem unionem, qualis est inter duas naturas in CHRISTO? Et si non talis unino non eadem esse possit prædicatio; Ergo si parum illustramenti hoc simile rei nostræ afferre deberet, adhibendæ essent simul plures cautelæ. Omnis vero ἀταξία penitus exulat à DEO si dicamus *DEUM concurrere ad causas secundas saltem quæ tales, seu, quæ entitatem habet, seu quoad substantiam actus, quam dicunt materiale, non quoad rationem culpæ seu formale*: sed satis de modo.

(1) Sub præsidio B. Waltheri, ut Adjunctus Philosophiæ hanc proposuit Thes. VI. & VII. (2) Rudrauffius loco jam citato §. 33.

CAPUT VIII.

De

FRUCTU CONCURSUS DIVINI.

SUMMARIUM.

§. 1. Brevitas excusatur. §. 2. Delineatio omnium fructuum sistitur. §. 3. Theoretico-didacticus explicatur. §. 4. Theoretico-Practicus sequitur. §. 5. Practico-pædagogicus est. §. 6. Practico-epanorthoticus sistitur. §. 7. Practicus Consolatorius. §. 8. Votum est clausula.

K

§. I. Omnia

§. I.

OMnia quæ hic faciunt plenissimis exprimere verbis non permittit temporis punctum, quod mihi ad hanc rem est; prohibent & ea, quæ non expectat solum quotidie, sed etiam postulat à me officium meum sanctissimum. Adumbrare ergo saltem debeo umbraticis & imaginariis lineolis, quæ vivis coloribus depingere non est licitum.

§. II.

Datur vero Usus seu Fructus hujus doctrinæ tam *Theoreticus*, quam *Præcticus*. *Theoreticus* iterum vel est *Didacticus*, vel *Elenchticus*, & *Præcticus*, vel *Pædagogicus*, vel *Epanorthoticus*, vel *Consolatorius*.

§. III.

Theoretico-Didacticus est; Quod DEUS I. sit omniprensens, alias enim non cum omnibus causis secundis concurrere posset. II. Quod homo sine DEO etiam in naturalibus nihil possit; alias esset concursus divinus frustra. III. Quod nihil fortuitum & inopinatum respectu DEI obveniat homini; sed quicquid evenit, veniat DEO concurrente, itaque prævidente, volente & dirigente. IV. Magnitudo benignitatis, quod non saltim concurrat cum piis ad actiones rectas, sed etiam cum impiis ad obliquas & malitiosas, ne tempus & occasio pœnitentiam agendi ipsis subito præripiatur. Cessante enim concursu divino in totum cessaret vita creaturarum & presentissimum esset Impiis iudicium & damnatio æterna.

§. IV.

Theoretico-Elenchticus est I. Contra Prædeterminantes cujuscunque etiam sint generis sive Reformati, sive Pontificii audiant. II. Contra eos, qui DEUM certo inclu-

dunt

dunt loco, volentes DEUM non secundum essentiam, sed per potentiam duntaxat omnipræsentem esse, quos notavit Schertzerus noster in Systemate loc. II. §. 10. in Erroribus. III. Contra eos, qui naturæ & fato omnia tribuunt.

§. V.

Ufus Practicus Pædenticus est I. Ut omnes actiones nostras probe & diligenter observemus, ne concursum divinum gratiosum ad malum determinemus. II. Ut gratias indesinenter DEO agamus pro isto concursu, cum, remoto eo, nobis non sit integrum quicquam præstare.

§. VI.

Ufus Practicus Epanorthoticus I. contra eos, quibus nunquam in mentem venit concursus divinus; sed suæ prudentiæ & diligentiæ quicquid agunt, unice tribuunt. II. Contra eos, qui malitia sua DEUM actionibus concurrentem tam malitiose offendunt.

§. VII.

Ufus Practicus Consolatorius I. Ne periculis nostris perhorrescamus, vel minas, vel malitias malorum tremamus & pertimescamus. DEUS enim noster concurrat undique & regit omnia pro voluntate. II. Ne in officio nostro, si ardua, quæ vires nostras longe exsuperant, sunt peragenda, animum despondeamus, sed fiduciam in eum, qui nobiscum in omnibus actionibus concurrat, ponamus omnem.

§. VIII.

Hos & plures alios ex hoc articulo manantes fructus ut diligenter in vita nostra observent omnes & singuli; est, quod vela cum contraho, animitus precor!

SOLI DEO GLORIA!

ne):(o):(po

... non secundum essentiam, sed
per potentiam dicitur omnipotens esse, quod
notavit Scherz. etiam notat in Sphaera loc. II. §. 10. in
I. tract. par. III. Capitulo, §. 1. et 2. et 3.

§. V.

... I. In omni actione
... II. In omni actione
... III. In omni actione
... IV. In omni actione

§. VI.

... I. Contra ea, quae non
... II. Contra ea, quae non
... III. Contra ea, quae non
... IV. Contra ea, quae non

§. VII.

... I. De periculo, quod
... II. De periculo, quod
... III. De periculo, quod
... IV. De periculo, quod

§. VIII.

... I. De periculo, quod
... II. De periculo, quod
... III. De periculo, quod
... IV. De periculo, quod

SOLI DEO GLORIA

Coll. diss. A. 28, misc. 13